PROPAEDEVMATA ORATORIA FRANCISCI TRACHELAEI STATII ARTIVM,

Ac Philoſophiæ Doctoris in Quatuor Libros diſtributa.

Primus continet Inuentionem Rhetorices
Secundus collocationem.
Tertius uſum Inuentionis.
Quartus Eloquutionem.

Memoriam & Pronunciationem omiſimus, tum quod magis ad oratorem forenſem pertineant,q̃ ad rerum & artium ſcriptores,tum quod uſu & exercitatione magis conſtent, q̃ præceptionibus artium.

A FVRORE RVSTICORVM LIBERA NOS DOMINE.



SVMPTIBVS EMMERAMMI SCHVVELLERI PAROCHI TIROLEN. ECCLESIAE. ANNO DOMINI. M. D. LVI.

L 1
B
36 16 a 6

HEROVM ILLVSTRISSIMI, INVICTISSIMIQVE REGIS FERDINANDI SEMPER AVGVSTI, REGIS INQVAM ROMANORVM HVNGARORVM, DALMATVM, BOHAEMORVM,

Croatum, &c. Infantis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ, &c. Comitis Tyrolli, &c. Regis noſtri Sereniſſimi filio minimo natu, Carolo optimæ ſpei & indolis adoleſcenti Archiduci Auſtriæ Domino meo sereniſſimo.

Fran. Trachelæus Stadius. S. D. P.

MORIS eſſe ſoler apud ueteres Dux Illuſtriſſime, ut ſimulatꝙ adoleſcentes ſolida ieciſſent Grammatices fundamenta, protinus accingerentur uei ad ſtudium Mathematices, ac Philoſophiæ, uel ad exercitationem facultatis oratoriæ. Huic qui nauabant operam, quo facilius copiam dicendi aſſequerentur, præludia habuerunt accommodatiſſima ad eloquentiam. Erant, qui præclara ingenia laudibus extollerent, improbos inſectarentur conuitijs. Erant, qui perſuaderent honeſta, deterrerent turpia. Erant, qui uirtutes probarent, improbarent uicia. Qui noxios accuſarent, innocentes defenderent. Erant denique, qui in locis uerſarētur comunibus, in thematijs declamitandis ſe exercerent. Hoc apud Athenienſes in ſchola factitatum eſt Iſocratis. Quæ, eo quod ex ea prodirent facundiſſimi quicꝙ ſcriptores, ut Thucidides, Aeſchines, Demoſthenes, officina eloquentiæ eſt appeilata. Quid aliud effecit Pythagoras? Quid Socrates, quid Plato, quid Ariſtoteles, quid Theophraſtus aliud? Pythagoras noluit, ut quiſquam ſuorum auditorum ſpacio quinquennij de re alia loqueretur, aut ſcriberet, quàm de ea ſola philoſophię parte, quam ijs tunc temporis traderet. Socrates propoſitam ab auditoribus quæſtionem uarijs oppugnare rationibus, partemꝙ perſuadere probabiliorem docuit. Plato uero, Ariſtoteles, & Theophraſtus ambas in partes de qualibet re oratione perpetua, ut differerent, uoluerunt. Gorgias Leontinus, atque nunc ſequutus Iſocrates, ita ſuos aſſueſecerunt, ut in declamitandis cauſis locos explicarent comunes. Vnde tandem prodierunt, qui facunde perorarent in foro, eruditè conſcriberent libros, aptè negocia pertractarent forenſia, diſertè concionarentur in templis, ſecum, & cum alijs docte commentarentur, & ſplendide.

Hac nos ratione permoti Sereniſſime Dux, hac nos utilitate propoſita impuiſi, operæprecium uiſi ſumus facturi bonæ ſpei adoleſcentibus, ſi de ratione dicendi eiuſmodi commentaremur nonnulla, cuiuſmodi tandem cederent in commodum Reipub. Chriſtianæ. Quod aſſequi ſi ex animo ſtaret ſententia, longe profecto aliter ſcribendum foret de arte oratoria, quàm olim fecit aut Cicero, aut Quintilianus, aut Hermogenes, aut Trapezuntius, qui in eum ſolum retulerunt uſum præceptiones Rhetorices, ut appoſitè in cauſis uerſarentur ciuilibus, ut in Iudicio, in Senatu, in Campo Martio Romæ, Athenis in Areopago controuerſias forenſes aptè pertractarent. Verum negotiorum forenſium nullus hodie amplius eſt uſus, præterquàm apud Iuriſconſultos, qui non oratoriè, hoc eſt, copioſè & eleganter de controuerſiis iuris diſceptant, ſed per modum altercationis contractiori dicendi genere contendunt.

Hoc autem anni tempore quid fit? Hac tempeſtate quid agitur? Pertractantur contentiones Theologicę. De doctrina Euangelij, de prędeſtinatione, de libero arbitrio, de iuſtificatione impij, de fide & operibus, de ſacramentis eccleſię Dei diſſeritur. De ſumma religionis docetur populus in templo, articuli fidei explanantur. Aperiuntur literæ Propheticæ, Euangelicæ, & apoſtolicę, continentia, æquitas, iuſtitia, longanimitas, perſeuèrantia, magnanimitas, conſtantia, liberalitas, magnificentia, fiducia ac tolerantia perſuadentur. Hiſtorię, apothegmata, loci communes, fabulæ poëticę, apologi Aeſopici, clarorum uirorum ſententiæ, parœmię, ſimilia, parabolæ, allegoriæ, epithomæ, paraphraſes, ſcholia, commentarij, artes, atque omnia poëmatum & argumentorum genera pertractantur!

Quare neceſſarium fuit, ut quemadmodum una extitit ars, quæ de hiſce docuit diſſerere breuiter, atque conciſe, ita altera quoque prodiret, quæ de iiſdem ageret copioſe & eleganter.

Quare nos nouo quodam modo Rhetoricen conſcripſimus, quam uel facultatem, uel rationem, uel copiam dicendi appellare poſſumus multo rectius, q̃ Rhetoricen, maxime ſi eam oratori forenſi accommodatam uelimus.

Elaborauimus igitur, inquam, opus hoc ita, ut omnibus accommodari negocijs poſſit, omnibus utilis eſſe poſſit ſcriptoribus, ac concionatoribus.

Nemini proinde dicandum potius putaui Illuſtriſſime Dux, q̃ tuæ sereniſſimæ Maieſtati. Semper namque colere te unice ſtatui, propter egregiam tuam indolem, iucundiſſimos mores, diuinum ingenium, eximiam probitatem, ſummam modeſtiam, humanitatem incredibilem, ſingularem fidem atque conſtantiam. Hoc adhortatur & gloria maiorũ tuorum. Hoc poſtulat & uirtus Cæſaris, Caroli Quinti patrui tui, qui laudibus bellicis, uſque adeo

claruit,ut uix ſit inter heroas ueteres quorum ἐγκώμια decantantur apud Homerum, Thucididem, Maronem, Salluſtium,Liuium alioſqꝫ ſcriptores priſcos,poetas & hiſtoricos,uel ullus,qui cum eo conferri poſſit,nedum æquari aut præferri. Hoc requirit & Maieſtas patris tui Ferdinandi, qui ſecundum Cęſarem inter cęteros reges uel principes mundi tenet uel primas,& amplitudine monarchiæ,& ſapientia ſcientiaqꝫ gubernandi,& uirtute ac gloria bellica,& auctoritate ſcientiaqꝫ rei militaris. Hoc expoſtulauit non raro humanitas D. Emmerāmi Schuelleri Viri utriuſque linguæ doctiſſimi , atque in omni genere eruditionis nunquam ſatis laudati. Qui tibi fuit Oeniponti,alijſqꝫ liberis regijs ſororibus tuis à ſacris concionibus , tuuſqꝫ ac cęterorum aulicorum , adoleſcentulorum nobilium pædagogus ac formator inſignis. Vere hunc unum non ſine cauſa dignum exiſtimauit pater Ferdinandus,cui te tantam committeret ſobolem,quemadmodum nec ſine cauſa Philippus Macedonum Rex ſolum Ariſtotelem dignum cenſuit,in cuius ſinum Alexandrum Magnum filium ſuum reponeret,erudiendumqꝫ daret.Hinc uere elucet regia ipſius prudentia,uel ſumma potius ſapientia,qui uirum tantum tantę adhibuerit ſoboli, in quam omnium hominum coniecti ſunt oculi,omnium principum & aulicorum defixi animi , ob raram & incredibilem iſtius ætatis indolem. Neſciunt,quid ſibi magni pręſagiat , ſcintilla illa uirtutis,quæ in te enitet. Omnia ſibi de te pollicentur. Nihil eſt,quod non prędicent de tuis uirtutibus. quotquot uerſantur in aula. Mirantur uirtutem raram,præclarum ingenium humanitatem incredibilem , acrimoniam iudicij ſummam , magnificentiæ nominis tui ſplendorem. Quę omnia ſumma ſunt rerum magnarum indicia , prouehendum te ad maxima & ampliſſima imperia,& in ſummo honore , gloriaqꝫ conſtituendum : Quid ? Imo idcirco exiſtimant eſſe te illum, de quo uaticinium iſtud multis abhinc annis oraculi loco memoriæ proditum , dictum putent , uenturum nempe Carolum quendam,qui poſt multa confecta bella præclara, poſt partas uictorias multas,tandem deferetur ad Turcam.Quo expugnato,deleroqꝫ,Hieroſolymam ſe conferet,ibiqꝫ in monte Sinai,initis per uniuerſum mundum fœderibus pacis obiturus eſt diem,cum maxima nominis ſui gloria & fama. Hoc uaticinium Cæſari noſtro Carolo Quinto attribuerunt nonnulli, cum cernerent ipſum ſcientia rei militaris,atque omnibus bellicis laudibus ſuperare omnes ſuos maiores , ſemper potiri uictorijs , nunquàm uictum è prælio diſcedere, adhuc tamen iuuenem , imo adoleſcentem eſſe , ætate uegetem , forma præclarum , robuſtum , conſtantem , fortem , magnanimum , amicum amicis , hoſtibus terribilem , in rebus gerendis ſemper Auguſtum , prudentiſſimum item ac ſapientiſſimum uirum . At quandoquidem nunc ætate defeçit , ſpes illa uidetur abire in dubitationem . ac gloria uaticinij à Carolo quinto , niſi ipſe perficiat ante obitum,transferri in Carolum Sextum.Quem te futurum niſi ipſe , inquam , perficiat ante obitum , colligunt omnes ex facilitate morum , ex magnitudine ingenij , ex indolis incredibili admiratione , ex dictis , factiſqꝫ quibuſdam pręclaris & ingenioſis . Quæ non minus grauia & ſententioſa fuerunt , licet in infantia ædita , quàm ſint illa Themiſtoclis , Alcibiadis , Philippi Macedonum Regis , Alexandri Magni , aliorumqꝫ principum in apophthegmatis Plutarchi atque Eraſmi deſcripta . Quocirca Macte iſt . uirtute puer , ſic itur ad aſtra , atque hoc opus tibi dedicatum boni conſule. Vale.

TABVLAE DE COPIA DICENDI

FRAN. TRACHELAEI STATII.

QVID SIT DICENDI COPIA.

TABVLA PRIMA.

COPIAE DICENDI EST RATIO BENE ORNATEQ; eloquendi. Hanc dicendi copiam, alij facultatem, alij rationem, alij artem maluerunt dicere. Eſſe & rationem, & facultatem extra controuerſiam eſt. Quod ſi arton uocemus multarum præceptionum coaceruationem ad finem aliquem utilem uitæ, ut deſcribit apud Lucianum Simon Paraſitus, nihil equidem uideo, quo minus in artium quoq; numerum referri poſſit Copia dicendi, cum multa in hac tradantur decreta, quæ Græci καταλήψεις, nos ad uerbum dicere poſſumus comprehenſiones, Vel ſi ſignificantius maluimus, præceptiones, cum multa, inquam tradantur in hac decreta de cultu ſplendoreq; Verborum, de ornamentis rerum, & ſententiarum, de rei dubiæ faciendo fidem, de conciliandis affectibus, de omni deniq; perpoliendo, pertractandoq; negocio, uehementer utilia ad perſuadendas uirtutes, ad deterrenda uitia, ad adhortandum populum ad continentiam, fidem, religionem, pietatem, ad reſp. adminiſtrandas, ad gerendos capeſſendosq; magiſtratus, ad gubernanda regna, ad omnia deniq; quæ in rebus uerſantur humanis, ritè legitimeq; pertractanda.

Inueſtigat definitionem copiæ dicendi

Vtrum ſit ars dicendi copia.

Artium alia eſt.
- Θεωρητική, quam nos cognitiuam uertimus, quæ in ſola poſita eſt ſcientia rerum, ita ut non referatur ad actionem, ut: Phyſicè, Philoſophia prima, ac Mathematicæ artes
- Πρακτική, quæ in actione ceruitur, ut Ethice, Oeconomice, Politice.
- Λογική, quam nos rationalem dicere poſſumus, quia in orationes uerſatur, ut Grammatice, dialectice, rhetorice.

Diuiſio artis.

Oratio namq; ut emendata, ut probabilis, ut ſplendida, ornataq; ſit, oportet. At in emendata oratione Grammaticus, Dialecticus uero in probabili uerſatur. Tertium igitur tribuendum eſt ſoli Rhetoricæ, cùm à ratione eloquendi huius nominis ducta ſit origo.

Eſt igitur dicendi copia, ars eloquendi aptè, ornateq; de quaq; re, prout eius qualitas, conditioq; patitur.

Definitio copiæ dicendi

DE FINE, OFFICIO, ATQVE MATERIA RHETORICES. TABVLA II.

HINC nullo negocio perſpicitur, ſi finem artium dicimus opus, cuius gratia diſcuntur artes, cum ſolius eloquentiæ gratia diſcatur artes Copia dicendi, eius finem eſſe eloquentiam, quæ appoſitè ornateq; dicendo paratur. Munus uero etiam ornatè dicere, cum hoc facere debeat in hac facultate inſtructus artifex, & huc omnia referat, ut accommodate ornateq; dicat.

Quis ſit finis copiæ dicendi.
Quod officiū.

Materiam uero in quam ſuum opus experitur hic artifex, eſſe rem omnem, quæ in orationem uenit, cum nihil fingi, aut excogitari queat, quod quidem ſermone exprimi poſſit, in quod ſuum non exerat opus. Hanc ſi placet, quæſtionem appelles licebit.

Quæ materia.

Quæſtionū alia eſt.
- Θέσις, quam Cicero nunc quæſtionem infinitam, nunc cauſam, nunc controuerſiam appellat
- Ὑπόθεσις, quam modo quæſtionem finitam, modo propoſitum, modo conſultationem nominat.

Diuiſio quæſtionis.

Eſt autem θέσις, quæſtio ab omnibus libera circunſtantijs, aut certè maximis, ut loci, temporis, perſonæ, & actionis. ut utrum contrahendum ſit matrimonium. Hypotheſis uerò & quæſtio attributis loci, temporis, perſonæ aut actionis circunſcripta. ut utrum ſacerdotibus contrahendum ſit matrimonium.

Quid Theſis.
Quid hipotheſis

At quandoquidem non omnes quæſtiones ueniunt in forum, ſed ſolæ controuerſiæ ciuiles, ſolas ὑποθέσεις Rhetori forenſi ſubdiderunt nōnulli, dixerunt Rhetorices materiam eſſe cauſas ciuiles: quæ certis ſunt terminis perſonarum & rerum comprehenſæ. At nos quia finibus non tam arctis Rhetorices nomē includimus, ut in ſolis negocijs uerſaretur forenſibus, ſed tam late patere uolumus, ut quemadmodum Grammatice, & Dialectice, ſic & ipſa ſit aliarum artium inſtrumentum, eius materiam non ſolam hypotheſin, ſed omnem in uniuerſum quæſtionem ſtatuimus. Atq; idcirco Dicendi copiam inſcribere maluimus, q̄ Rhetoricen, licet hæc nomina fere eodem diuertant, ſi gratam ſpectemus originem, unde deductum ſit nomen εὐπορίας, non item, ſi uſum ueterum ſcriptorum, qui eam accommodarunt ſolis controuerſiis forenſibus.

Quæſtionem omnem dicendi copiæ eſſe materiam

Eſt igitur copia dicendi, ut modo diximus, ratio ornatè, copioſeq; diſceptandi non de ſolis cauſis ciuilibus, ſed de quaq; re, quæ in ſermonem incidit, prout eius natura, conditioq; permittit.

Differt enim a Dialectica, quæ non parum alioqui ipſi eſt cognata, quod hæc probabiliter atq; contractiori dicendi genere, illa ornate copioſeq; dicat de rebus.

Ex fine, officio atque materia copiæ dicendi colligit rurſus eius definitionem

DE GENERIBVS NEGOCIORVM, SIVE QVAESTIONVM. TAB. III.

DIXIMVS huius artis iuri ditioniq; ſubijci negocia omnia, quæ ueniunt in orationem, eaq; uno nomine, quādo oratione pertractantur, appellari quæſtiones, cum nulla negocia aſſumantur a dicente, quæ non tanq̄ ambigua, incertaq; proponat. Quicquid autem ceu, ambiguum aſſumitur, nominatur quæſtio, ut quæ ſit propoſitio dubia cum interrogatione elata. Eſt ergo quæſtio Rhetorices materia. Nec aliud per eam intelligimus, q̄ quod nonnullè uſitato ſatis uocabulo θέμα appellant.

Probat quæſtionem eſſe materiā Rhetorices

Hæc quæſtio 4. in generibus cernitur.
- Demonſtratiuo, quo laudamus & uituperamus.
- Deliberatiuo, quo ſuademus & diſſuadeamus.
- Iudiciali, quo accuſamus & defendimus.
- Didaſcalico, quo docemus.

Quatuor eſſe genera negociorum.

Hæc genera quæſtionum alij dixerunt genera cauſarum. Quod quidem haud admodum exiſtimo reprehendendum, ſi modo quid cauſæ nomine ſignificari uoluiſſent, ſubindicaſſent quoq;. Nos quandoquidem ὑπόθεσιν ſolam, cauſam uocat Cicero, hoc eſt, controuerſiam certis quibuſdam attributorum finibus coarctatam, diſtinguitq; eam à theſi, genera quæſtionum, q̄ cauſarum dicere malui-

luimus, ne nobis parum conſentire uideremur, aut certè obliti eſſe, quod paulo ante materiam omnem, quæ in orationem incidit, huic facultati ſubiunxerimus.

DE PARTIBVS COPIAE DICENDI. TABVLA IIII.

Partes dicendi copiæ ſunt. 5.
- *Inuentio, qua excogitamus ea, de quibus pronuntiaturi ſumus.*
- *Diſpoſitio, qua ſuo quæq; loco collocamus, & in certum digerimus ordinem.*
- *Eloquutio, per quam ornamentis uerborum & ſententiarum orationem perpolimus.*
- *Memoria, qua iam elaboratam orationem ediſcimus, fideliterq́; perceptam retinemus.*
- *Pronunciatio, qua certis corporis geſtibus orationem exprimimus.*

In inuentione ſpectantur.
- *Genera negociorum.*
- *Orationis partes.*
- *Genera ſtatuum.*

DE GENERIBVS NEGOCIORVM. TABVLA. V.

Genera negociorum 4. conſtituimus.

- *Demonſtratiuum, quod Græci ἐπιδεικτικὸν, uel ἐγκωμιαστικὸν, hoc eſt, à præcipua parte laudatiuum dixerunt.*
- *Deliberatiuum, quod plæriq; Græcorum συμβουλευτικὸν, quia in conſultatione, diſceptationeq; cernitur. Ariſtoteles δημηγορικὸν, hoc eſt, ut Fabius ait, concionalis dicere maluit, quod in hoc genere uerſarentur conciones eccleſiaſticæ, ut quæ, quando ad religionem, continentiam, fidem, caſtitatem, populum adhortantur, non aliter quàm deliberationes, ab utili, ab honeſto, a pio & iuſto, a delectabili uirtutes perſuadeant amplexandas, uitia uero deterreant, ab incommodis, a turpi rerum euẽtu & exitu, a difficultate negocij, & inamenitate.*
- *Iudiciale, quod δικανικὸν uocant Græci, quia quemadmodum deliberatiuum, in ſenatu, demonſtratiuum Athenis in ἀρείῳ πάγῳ, Romæ in campo Martio, ſic iudiciale præcipue in foro cernebatur, atque iudicio. In hoc genere quia controuerſiæ Theologicæ non ſecus pertractantur, atque criminationes actorum, rerumq; defenſiones, uerſari dicentur omnes apologiæ, ac conflictatiunculæ Theologorum. Cuiuſmodi conſcripſit complures Eraſmus, ubi aduerſus æmulos ſuſpiciones hæreſeos, diluit, ubi inuehitur in zoylos ſuos, atque maleuolos, ubi contra aduerſarios ſuam tuetur ſententiam, de translatione Euangeliorũ, Rerũ geſtarũ ab Apoſtolis, Epiſtolarũ Pauli, Petri, & Iacobi ac totius deniq; noui teſtamenti.*
- *Didaſcalicum, quod alij διδασκαλικὸν, alij doctrinalis, alij diſputatorium appellant, quia in hoc de illis omnibus quæſtionibus, quæ uel in liberalibus artibus, uel in grauioribus medicorum, iuriſconſultorum, philoſophorum, ac Theologorum pertractantur ſtudiis diſſerimus & explicamus.*

DE PARTIBVS HORVM GENERVM. TABVLA SEXTA.

Duæ ſunt partes demonſtrationis.
- *Laudatio, qua res bonas exaggeramus, quas alicui ineſſe dicimus.*
- *Vituperatio, qua res malas amplificamus rei alicui attributas.*

Duæ partes deliberationis
- *Suaſio, qua ad eligendum aliquid, dicendumq́;, & agendum adhortamur.*
- *Diſſuaſio, qua ad eligendum aliquid, dicendum, agendumue, dehortamur.*

Duæ partes iudicialis generis
- *Accuſatio, quæ eſt criminum, quæ in reum conferuntur expoſitio.*
- *Defenſio, quæ eſt eorundem ſiue in accuſatione, ſiue in ſuſpitione uerſentur, diſſolutio.*

Duæ partes generis didaſcalici
- *Expoſitio, qua ſolam animi noſtri ſententiam exprimimus, nullo quo fides audienti fiat adhibito.*
- *Argumentatio, qua rei controuerſiæ conciliamus fidem.*

QVAE IN SINGVLIS GENERIBVS VERSENTVR. TABVLA VII.

Quæ verſentur in genere encomiaſtico.

In genere igitur encomiaſtico uerſantur
- *Laudationes* / *Vituperationes* — *quæ quid ſint, diximus pauloante.*
- *Gratiarum actiones, quibus pro beneficio, accepto gratias agimus, ut Cicero in oratione pro Marco Marcello.*
- *Collaudationes, quibus aliquem bene ſuo munere functum extollimus.*
- *Orationes*
  - *Panegyricæ, cuiuſmodi eſt illa Iſocratis in laudem Athenienſium ubi omnes pariter Græcos cohortatur ad ſuſcipiendum aduerſus labores bellum.*
  - *Mandatoriæ, quibus præcipimus aliquid, ut hoc uel illud faciant.*
  - *Officioſæ, quibus ultro operam noſtram pollicemur.*
- *Deſcriptiones*
  - *Perſonarum*
  - *Factorum*
  - *Locorum*
  - *Temporum*
  - *Rerum*

  quæ dicitur Græcis προσωπογραφία, τοπογραφία, χρονογραφία, ὑποτύπωσις

QVAE VERSENTVR IN GENERE IVDICIALI ET DELIBERATIVO. TABVLA OCTAVA.

In genere deliberatiuo uerſantur.

- Suaſiones, Diſſuaſiones — de quibus ſupra
- Conciones, in quibus deterrentur uitia, perſuadentur uirtutes.
- Adhortationes, quibus ad agendum aliquid commonefacimus.
- Dehortationes, quibus deterremus
- Petitiones, quibus ut aliquid mutuo aut dono detur, poſtulamus.
- Recuſationes, quibus quod alter petiuit, negamus.
- Conſolationes, quibus in rebus aduerſis aliquē in ſpem erigimus, conceptumq; dolorem lenimus.
- Conciliationes, quibus ignotorum captamus amicitiam, ac beneuolentiam.
- Commendationes, quibus laudibus aliquem extollimus, ut nonnihil ipſi impetremus, quod factu ſit utile, hoc namque ſolo fine diſcrepat à laudatione.

In genere iudiciali uerſantur

- Accuſationes, Defenſiones — de quibus ante
- Poſtulatio æris alienis, qua debitum poſcimus a creditoribus.
- Negatio æris alieni, qua recuſamus debitum.
- Controuerſiæ Theologicæ, de quibus decertant Theologi.
- Apologiæ, quibus cauſam noſtram atque ſententiam tuemur.
- Altercationes, quibus acriter proinde ac ſi rixaremur, alterum inſectamur.
- Inuectiuæ, quibus in æmulos & aduerſarios inuehimur.
- Criminationes, quibus alium culpamus & coarguimus.
- Purgationes, quibus nos excuſamus.
- Querelæ, quando de illata querimur iniuria.
- Expoſtulationes, quando cum altero de omiſſo quopiam negocio expoſtulamus.
- Deprecationes, quibus ut nobis ignoſcatur, poſtulamus.

In genere didaſcalico uerſantur

- Diſputationes Theologorum ac Philoſophorum.
- Explicationes rerum obſcuriorum.
- Profeſſiones Medicorum ac iuriſconſultorum.
- Mandatorum expoſitiones.
- Conciones Eccleſiaſticæ, in quibus eccleſiaſticas recenſent hyſtorias, in quibus uaticinia, documenta, præcepta legis, oracula diuina atque pronunciata interpretantur, in quibus intricatiores locos in Propheticis, Euangelicis & Apoſtolicis literis cōtentos explicamus, in quibus deniq; oīa, quæ ad religionem pertinēt & ad fidē, docemus.

DE PARTIBVS ORATIONIS — TABVLA. IX.

Partes orationis ſunt. 4.

- Exordium, quo preparamus auditores ad accipiendam reliquam dictionem.
- Narratio, quæ eſt rei, de qua pronunciaturus es uериſimilis expoſitio.
- Confirmatio, qua noſtra firmamus, & aliena refellimus.
- Peroratio, qua uel quæ per totam dicta ſunt orationem breuiter repetimus, uel cauſam amplificando commiſerationem commouemus, aut indignationem.

Partitio namque ad exordium, Propoſitio ad narrationem, confutatio & reprehenſio ad confirmationem, digreſſio & amplificatio, quas nonnulli alii recenſent, ad eam rediguntur orationis partem, cui adhibentur.

DE GENERIBVS STATVVM. — TABVLA. X.

Statuum tria ſunt genera

- Cōiecturalis
  - An res ſit? ut an ſint Chimeri & Hypocentauri?
  - An fuerit? Vtrum fuerit aliquando Meſſias?
  - An futurum ſit? Vtrum erit unquàm Antichriſtus?
  - An factum ſit? Vtrum Lex Moſaica ueram contulerit Iſraelitis iuſtitiam?
  - An poſſit fieri & utrum fiat? Vtrum redeant Lemures? Vtrum ſola fides iuſtificet? Vtrum obſeruatio politiæ Moſaicæ ad ſalutem neceſſaria ſit?
  - Quo pacto cōfectum? ut Quo modo iuſtificemur per legem Euangelicam? Quo modo Patriarchæ atque Prophetæ detineantur in limbo
  - Qua de cauſa factum ſit? Cur circumciſi ſint Hebræi? Cur imprimordio naſcentis Eccleſiæ, atque in Politia Moſaica permiſſa ſint coniugia ſacerdotibus, nunc uero decretis Pontificum uetita?
- Definitiuus, quo rem quidem eſſe extra controuerſiam eſt, & de facto utrique parti conuenit, cæterum quo pacto appellandum ſit, ambigitur, ut ſi quis ſe rem prophanam e loco ſacro ſuſtuliſſe fateretur, ac proinde ſe furti quidem reum eſſe, non tamen teneri lege ſacrilegij, quæritur, utrum hoc factum ſit furtiuum, an ſacrilegium. Dicitur autem definitiuus ſtatus, non quod de facti queratur definitione, ſed quia, controuerſia uerbi dirimi nequit, niſi prius nomen definiatur. Primum enim aperitur, quid ſit furtum, quid ſit ſacrilegium, deinde utriuſque definitio accommodatur ad factum, unde demum perſpicitur, furtum ne, an ſacrilegium factum ſit appellandum.

Statuum genera tria ſunt
- *Iuridicialis,quo iure,ne an iniuria,recte an perperam,iuſte an iniuſte factum ſit,contenditur. Vt utrum Ihesus Chriſtus iure ſit a Iudæis interfectus. Vtrum recte ſit a Paulo abrogata Lex Moſaica.*
- *His docendi gratia adiungitur quartus ſtatus,quem alii legitimum,alij legalem, Græci νομικὸν dicunt à præcipua parte iuris, quæ lex eſt. Eſt autem ſtatus legitimus,quando non quidem in ratione, ſed in ſcripto controuerſia uerſatur.*

Eſt autem ſtatus prima negocij controuerſia ex aduerſarij ſciſcitatione & defenſoris reſponſione coorta. ut ſi quærat aduerſarius,differat ne lex Moſaica à lege Euangelica. & Defenſor aiat, neget autem aduerſarius. Status eſt utrum differat Lex Moſaica a lege Euangelica.

DE VTILITATE GENERVM NEGOCIORVM, ORATIONIS PARTIVM, *atque conſtitutionum ſiue ſtatuum,* Tabula. XI.

Quorſum conferunt genera negociorum? Vt cognito in quo genere uerſetur oratio, ſtatim circumferatur animus per illius generis locos,quorum admonitu intueamur, quid de re propoſita dici queat. Quorſum orationis partes? ut ad auditores rite accommodetur oratio,ut rei dubiæ citius paretur fides,ut ſuo quæq; pro qualitate rei diſponantur loco. Quorſum genera ſtatuum? ut perſpiciamus,quo tanquàm ad caput cuncta ſint referenda,ut neque plus,neque minus dicamus, quàm inſcriptio operis, aut concionis Thema,aut ſuma poſtulet orationis,ut ex locis quoque ſtatuũ ad conciliandam rei propoſitæ fidem depromamus argumenta.

DE EXORDIO. TABVLA. XII.

Officium exordij eſt,ut beneuolum reddat auditorem, attentum,& docilem.

Beneuolentiam comparat ſibi is qui dicit uel
- *A rebus,eas utiles,neceſſarias,magnas,iucũdas,incredibiles,nouas,inauditas,inopinatas,inexpectatas proferẽdo.*
- *A Perſona idq; uel*
  - *Sua commendatione officii,ac uirtutis iuſticiæ,liberalitatis,fidei,dignitatisq; ſignificatione.*
  - *Auditoris,noſtram cauſam cum ipſius coniungẽdo, ac utilem imprimis,neceſſariam,iucundamq; fore oſtendendo.*
  - *Aduerſarij,ipſum in inuidiam,in odium,in contemptum trahendo. Nam & potentes ſequitur inuidia,& nocentes odium,& humiles,abiectosq; contemptio.*

Docilitas paratur
- *Definiendo, hoc eſt, ſummam negocij breuiter recenſendo, ut in primo Aeneidos Maro, in Odyſſeæ, & Iliados Homerus.*
- *Diuidendo, hoc eſt in partes orationem diſtribuendo,ut primum Dicam de uirtutibus Theologicis, fide, ſpe,& charitate. Deinde de moralibus,prudentia,iuſticia,fortitudine & temperantia. Hinc de decem præceptis Decalogi, exaratis a Deo in tabulis lapideis, poſtea de ſeptem donis cœleſtis ſpiritus, poſtremo de ſeptem illis peccatis mortalibus,ſuperbia,auaritia,libidine,ira,gula,inuidia, acedia.*

Attentio conciliatur proponendo res
- *Magnas.*
- *Neceſſarias.*
- *Vtiles.*
- *Incredibiles.*
- *Nouas.*
- *Inauditas.*
- *Inopinatas.*
- *Inexpectatas.*

Exordium deſtrahitur in
- *Principium,quo perſpicue & aperto marte beneuolentiam captamus.*
- *Inſinuationem,quando id efficimus obſcure, ſenſim in animum audientis, atque latenter,ne ſentiat fucum, illabendo.*

Adhibetur autem inſinuatio tribus de cauſis
- *Vel quando negocii turpitudine laboramus.*
- *Vel ubi contrariæ parti fidem fecit aduerſarius.*
- *Vel ubi prolixiori alterius oratione defatigatus eſt auditor.*

Si premamur turpitudine cauſæ ſubſtituimus uel
- *Rem pro re*
- *Perſonam pro perſona*
- *Perſonam pro re*
- *Rem pro perſona*

  Honeſtam quæ placet,pro inproba & fœda quæ diſplice.

Si perſuaſus fuerit auditor,erit a præcipuo ipſius argumento auſpicandum,quo refutato,ſpes erit & reliqua facile refelli poſſe.

Si præ minima alterius orationis longitudine defeſſus fuerit auditor,ab apologo,ab apophthegmate, a facetiis, uel ab aliqua re ridicula,quæ riſum facile mouet,quæq; delectat,erit incipiendum.

DE NARRATIONE. TABVLA. XIII.

Narratio eſt rerum geſtarum,uel perinde ut geſtarum expoſitio.

Narrationum alia eſt
- *Eius rei,de qua es acturus,ut ſi bellum ne eſſet gerendum cum Turca deliberans narret, quantas intuliſſet Chriſtianæ Reip. clades.*
- *Rerum extrinſecus pertinentium, ut ſi quis conſulat quempiã de collocanda filia,et is qui conſulitur,narret,quẽadmodum ſucceſſerit filiæ uicini,quæ in eodem uerſabatur ſtatu rerum,eidemq; ludibrio fortunæ erat expoſita.*

Narratio neceſſe eſt
- *Vt ſit breuis*
- *Vt perſpicua.*
- *Vt probabilis.*
- *Vt ſuauis*

Breuis eſt narratio, non quæ pauca continet uerba, aut ſuccinctas habet periodos, ut in quibus multa etiam ſuperuacua eſſe poſſint, uerum ea demum breuis cenſebitur, quæ nihil ambit, niſi neceſſarium.

Eſt igitur breuitas narrationis 5. in rebus poſita
- 1 Si non a primis rerum initijs, ſed tantum quatenus propoſite rei ſatis eſt, auſpicemur.
- 2 Si in reliquo orationis curſu, quicquid ab inſtituto ſit alienum, reſecemus.
- 3 Si capita duntaxat rerum recenſuerimus.
- 4 Si nihil protulerimus ſuperuacaneum, nec idem bis unquam dicamus.
- 5 Si ex conſequentibus antecedentia, aut ex antecedentibus conſequentia facile quis ſecum animo colligere poſſit.

Perſpicuitas narrationis conſeruatur
- 1 Si ordinem naturæ ſeruemus, & quæ primum geſta ſunt, primum exponamus, quæ poſtremo, poſtremo.
- 2 Si uerbis ſignificantibus, proprijs & uſitatis utamur.
- 3 ſi nihil contorte, nihil dicamus ambiguè.

Probabilitatis præcepta ſunt
- 1 ſi cuncta ſibi conſentiant, ac conſentanea ſint.
- 2 ſi ſignificetur probitas morum dicentis, acuitæ integritas.
- 3 ſi quid religionis cauſa factum dicatur.
- 4 ſi citentur teſtimonia legum.
- Si conſentiant omnia
  - Perſonis
  - Locis
  - Temporibus
  - Opinionibus hominum
  - Factis
  - Facultatibus
  - Cauſis
  - Modis
  - Ac reliquis perſonarum rerumq; attributis, hoc uerſiculo comprehenſis
- Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Suauitas narrationis ſita eſt uel
- In rebus, quando narrando efficitur, ut miretur auditor, ut expectet exitum & euentum rei.
- In rerum tractatione, ut ſi interpoſitos habeat affectus, & conſilia animorum, ſi per modum inſtituatur dialogi, ac colloquentes effingantur perſonæ.

DE CONFIRMATIONE. TABVLA. XIIII.

Confirmatio hoc in loco eſt noſtrarum, quibus noſtras tuemur partes, rationum commemoratio, uel diſſolutio contrariarum. Hanc alij probationem uocant: Alij Contentionem: Et hoc mea quidem ſententia ſignificantius.

Probationum alia eſt
- Confirmatio proprie ſumpta, qua noſtram tantum defendimus ſententiam, non alienam reprehendimus.
- Refutatio, qua aduerſariorum firmamenta diluimus.

Confirmamus autem ac refutamus argumentis depromptis ex locis. Eſt enim locus, comunis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaq; re probabile ſit, perſpici queat. Vel eſt index argumentorum. Argumentum autem eſt, probabile inuentum ad faciendam rei dubiæ fidem. Huius autem inuenti expolitionem Trapezuntius uocat argumentationem, quam Cicero definit eſſe explicationem argumenti. Argumenta uero eruuntur è locis.

Statuum genera tria ſunt
- *Iuridicialis, quo iure, ne an iniuria, recte an perperam, iuſte an iniuſte factum ſit, contenditur. Vt utrum Iheſus Chriſtus iure ſit a Iudæis interfectus. Vtrum recte ſit a Paulo abrogata Lex Moſaica.*
- *His docendi gratia adiungitur quartus ſtatus, quem alii legitimum, alij legalem, Græci νομικὸν dicunt à præcipua parte iuris, quæ lex eſt. Eſt autem ſtatus legitimus, quando non quidem in ratione, ſed in ſcripto controuerſia uerſatur.*

Eſt autem ſtatus prima negocij controuerſia ex aduerſarij ſciſcitatione & defenſoris reſponſione coorta. ut ſi quærat aduerſarius, differat ne lex Moſaica a lege Euangelica. & Defenſor aiat, neget autem aduerſarius. Status eſt utrum differat Lex Moſaica a lege Euangelica.

DE VTILITATE GENERVM NEGOCIORVM, ORATIONIS PARTIVM, *atque conſtitutionum ſiue ſtatuum*, Tabula. XI.

Quorſum conferunt genera negociorum? Vt cognito in quo genere uerſetur oratio, ſtatim circumferatur animus per illius generis locos, quorum admonitu intueamur, quid de re propoſita dici queat. Quorſum orationis partes? ut ad auditores rite accommodetur oratio, ut rei dubiæ citius paretur fides, ut ſuo quæq; pro qualitate rei diſponantur loco. Quorſum genera ſtatuum? ut perſpiciamus, quo tanquàm ad caput cuncta ſint referenda, ut neque plus, neque minus dicamus, quàm inſcriptio operis, aut concionis Thema, aut ſuma poſtulet orationis, ut ex locis quoque ſtatuũ ad conciliandam rei propoſitæ fidem depromamus argumenta.

DE EXORDIO. TABVLA. XII.

Officium exordij eſt, ut beneuolum reddat auditorem, attentum, & docilem.

Beneuolentiam comparat ſibi is qui dicit uel
- *A rebus, eas utiles, neceſſarias, magnas, iucũdas, incredibiles, nouas, inauditas, inopinatas, inexpectatas proferẽdo.*
- *A Perſona idq; uel*
  - *Sua commendatione officii, ac uirtutis iuſticiæ, liberalitatis, fidei, dignitatisq; ſignificatione.*
  - *Auditoris, noſtram cauſam cum ipſius coniungẽdo, ac utilem imprimis, neceſſariam, iucundamq; fore oſtendendo.*
  - *Aduerſarij, ipſum in inuidiam, in odium, in contemptum trahendo. Nam & potentes ſequitur inuidia, & nocentes odium, & humiles, abiectosq; contemptio.*

Docilitas paratur
- *Definiendo, hoc eſt, ſummam negocij breuiter recenſendo, ut in primo Aeneidos Maro, in Odyſſeæ, & Iliados Homerus.*
- *Diuidendo, hoc eſt in partes orationem diſtribuendo, ut primum Dicam de uirtutibus Theologicis, fide, ſpe, & charitate. Deinde de moralibus, prudentia, iuſticia, fortitudine & temperantia. Hinc de decem præceptis Decalogi, exaratis a Deo in tabulis lapideis, poſtea de ſeptem donis cœleſtis ſpiritus, poſtremo de ſeptem illis peccatis mortalibus, ſuperbia, auaritia, libidine, ira, gula, inuidia, acedia.*

Attentio conciliatur proponendo res
- *Magnas.*
- *Neceſſarias.*
- *Vtiles.*
- *Incredibiles.*
- *Nouas.*
- *Inauditas.*
- *Inopinatas.*
- *Inexpectatas.*

Exordium deſtrahitur in
- *Principium, quo perſpicue & aperto marte beneuolentiam captamus.*
- *Inſinuationem, quando id efficimus obſcure, ſenſim in animum audientis, atque latenter, ne ſentiat fucum, illabendo.*

Adhibetur autem inſinuatio tribus de cauſis
- *Vel quando negocii turpitudine laboramus.*
- *Vel ubi contrariæ parti fidem fecit aduerſarius.*
- *Vel ubi prolixiori alterius oratione defatigatus eſt auditor.*

Si premamur turpitudine cauſæ ſubſtituimus uel
- *Rem pro re*
- *Perſonam pro perſona*
- *Perſonam pro re*
- *Rem pro perſona*

Honeſtam quæ placet, pro inproba & fœda quæ diſplice.

Si perſuaſus fuerit auditor, erit a præcipuo ipſius argumento auſpicandum, quo refutato, ſpes erit & reliqua facile refelli poſſe.

Si præ minima alterius orationis longitudine defeſſus fuerit auditor, ab apologo, ab apophthegmate, a facetus, uel ab aliqua re ridicula, quæ riſum facile mouet, queq; delectat, erit incipiendum.

DE NARRATIONE. TABVLA. XIII.

Narratio eſt rerum geſtarum, uel perinde ut geſtarum expoſitio.

Narrationum alia eſt
- *Eius rei, de qua es acturus, ut ſi bellum ne eſſet gerendum cum Turca deliberans narret, quantas intuliſſet Chriſtianæ Reip. clades.*
- *Rerum extrinſecus pertinentium, ut ſi quis conſulat quempiã de collocanda filia, et is qui conſulitur, narret, quẽadmodum ſucceſſerit filiæ uicini, quæ in eodem uerſabatur ſtatu rerum, eidemq; ludibrio fortunæ erat expoſita.*

Narratio neceſſe eſt
- *Vt ſit breuis*
- *Vt perſpicua.*
- *Vt probabilis.*
- *Vt ſuauis*

Breuis eſt narratio, non quæ pauca continet uerba, aut ſuccinctas habet periodos, ut in quibus multa etiam ſuperuacua eſſe poßint, uerum ea demum breuis cenſebitur, quæ nihil ambit, niſi neceßarium.

Eſt igitur breuitas narrationis 5. in rebus poſita
- 1 Si non a primis rerum initijs, ſed tantum quatenus propoſitæ rei ſatis eſt, auſpicemur.
- 2 Si in reliquo orationis curſu, quicquid ab inſtituto ſit alienum, reſecemus.
- 3 Si capita duntaxat rerum recenſuerimus.
- 4 Si nihil protulerimus ſuperuacuum, nec idem bis unquam dicamus.
- 5 Si ex conſequentibus antecedentia, aut ex antecedentibus conſequentia facile quis ſecum animo colligere poßit.

Perſpicuitas narrationis conſeruatur
- 1 Si ordinem naturæ ſeruemus, & quæ primum geſta ſunt, primum exponamus, quæ poſtremo, poſtremo.
- 2 Si uerbis ſignificantibus, proprijs & uſitatis utamur.
- 3 ſi nihil contorte, nihil dicamus ambigue.

Probabilitatis præcepta ſunt
- 1 ſi cuncta ſibi conſentiant, ac conſentanea ſint.
- 2 ſi ſignificetur probitas morum dicentis, ac uitæ integritas.
- 3 ſi quid religionis cauſa factum dicatur.
- 4 ſi citentur teſtimonia legum.
- 5 Si conſentiant omnia
  - Perſonis
  - Locis
  - Temporibus
  - Opinionibus hominum
  - Factis
  - Facultatibus
  - Cauſis
  - Modis
  - Ac reliquis perſonarum, rerumq; attributis, hoc uerſiculo comprehenſis

  Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Suauitas narrationis ſita eſt uel
- In rebus, quando narrando efficitur, ut miretur auditor, ut expectet exitum & euentum rei.
- In rerum tractatione, ut ſi interpoſitos habeat affectus, & conſilia animorum, ſi per modum inſtituatur dialogi, ac colloquentes effingantur perſonæ.

DE CONFIRMATIONE. TABVLA. XIIII.

Confirmatio hoc in loco eſt noſtrarum, quibus noſtras tuemur partes, rationum commemoratio, uel diſſolutio contrariarum. Hanc alij probationem uocant; Alij Contentionem; Et hoc uita quidem ſententia ſignificantius.

Probationum alia eſt
- Confirmatio proprie ſumpta, quia noſtram tantum defendimus ſententiam, non alienam reprændimus.
- Refutatio, qua aduerſariorum firmamenta diluimus.

Confirmamus autem ac refutamus argumentis depromptis ex locis. Eſt enim locus, communis quædam rei nota, cuius admonitu, quid in quaq; re probabile ſit, perſpici queat. Vel eſt index argumentorum. Argumentum autem eſt, probabile inuentum ad faciendam rei dubiæ fidem Huius autem inuenti expolitionem Trapezuntius uocat argumentationem, quam Cicero definit eſſe explicationem argumenti. Argumenta uero eruuntur e locis.

LOCORVM DIVISIO. TABVLA XV.

- Locorum alii ſunt
  - Artificialis quos Græci dicūt ἐντέχνους
    - Dialectici
      - Genus
      - Species
      - Differentia
      - Propri um
      - Totum
      - Partes
      - Definitio
      - Diuiſio
      - Coniugata
      - Caſus
      - Antecedentia
      - Conſequentia
      - Coniuncta
      - Adiacentia
      - Locus
      - Tempus
      - Plerumq; euenientia
      - Pronunciata
      - Cauſæ
        - Forma
        - Materia
        - Efficiens
        - Finis
      - Euenta
        - Effecta
          - Materiæ
          - Formæ
          - Efficientis
        - Deſtinata ad finem
      - Repugnantia
        - Contraria
        - Relata
        - Priuantia
        - Contradicentia
      - Comparata
        - A maiori
        - A pari
        - A minori
    - Rhetorici, quos alij circūſtātias Græci περιστάσεις Cicero uocat
      - Attributa quorū alia ſunt
        - Perſonarum
          - Genus
          - Natio
          - Patria
          - Sexus
          - Aetas
          - Aeducatio
          - Habitus corporis
          - Animi natura
          - Fortuna
          - Conditio
          - Victus
          - Studia
          - Affectatio
          - Dicta
          - Anteacta
          - Conſilium
          - Orator
          - Nomen
          - Mores
          - Vitæ genus
          - Diſciplina
          - Mors &
          - Quæ conſequuntur mortē
        - Rerum
          - Locus
          - Tempus
          - Inſtrumentum
          - Facultas
          - Modus
  - In artificiales quos appellant Græci ἀτέχνους, non quod planè careant artificio, tractatione enim efficitur cur arte elaborentur ſed quod ingenio eius, qui dicit minus inueniantur, uerū extrinſecus deferantur ad eum.
    - Chirographa
    - Iuſiurandum
    - Teſtimonia
      - Diuina
      - Humana
      - cuiusmodi ſunt autoritates omnes
    - Reſponſa Aruſpicum ac ſacerdotum
    - Auguria
    - Vaticinia
      - Sibillarum
      - Vatum quos Greci προφήτας, Perſæ ac Arabes Magos uocant
    - Oracula
    - Præiudicia
    - Tormenta ſiue quæſita
    - Rumores

DE VSV LOCORVM RHETORICORVM

DE locis Dialecticis nihil eſt, quod in præſentia dicamus amplius, quum non ad hanc, ſed ad aliam pertineant facultatem. De Rhetoricis hoc adijciam, idcirco me ea recenſuiſſe, quia plurimum intereſt in pertractandis negocijs, genere nobilis ſis, an ignobilis, perſona publica, an priuata, natione Italus an Germanus, Patria Venetus an Florentinus, Sexu fœmina an maſculus, Aetate uir an puer. Refert etiam non parum, a quibus, & quo pacto ſis æducatus, quo habitu corporis præditus, qua utaris fortuna, in qua conditione uerſeris, militaris, ſis, an forenſis, urbanus ſis, an ruſticus, quem ſecteris uiuendi modum, qua ſis animi imbutus natura, quæ uitia conſecteris, quid maximè affectes, quibus potiſsimum monearis, ad quos maximè ſis proclinis affectus, quæ ante aut dixeris aut egeris, quibus uitaris conſilijs, qua oratione utaris, quod ſit tibi inditum nomen, cuiuſmodi moribus perpolitus ſis, quale amplexus ſis inſtitutum uitæ, quibus edoctus diſciplinis ac artibus, quibus inſtructus literis, quem in modum obieris mortem, & ex hac uita migraris, & quæ mortem ſint conſequuta.

DE ARGVMENTATIONE. TABVLA. XVI.

Vbi è locis deprompſerimus argumenta, protinus in formam ea argumentationis conijciemus. Eſt autem argumentatio, ex rebus certioribus, ſeu probabilioribus, rei dubiæ incertæq; collectio.

Diſtribuitur autem argumentatio in
- Perfecta, quæ eſt perſpicua & euidens è propoſitis concluſionis collectio, & diuiditur in
  - Ratiocinationem, quam Peripatetici συλλογισμὸν, Rhethores uero ἐπιχειρήματα appellant.
  - Inductionem, quam ἐπαγωγὴν Græci Rodolphus imitatus Ciceronem, Ennumerationem dicere maluit
- Imperfecta, quæ obſcure ac ineuidenter complexionem colligit, & eſt duplex
  - Exemplum, quod παράδειγμα Græci dicunt
  - Ενθύμημα, quod commentum uertit Quintilianus. Verum Græcum nomen Enthymema Latinis uſitatius eſt

QVID SIT RATIOCINATIO ET INDVCTIO QVOTVPLEX TAB. XVII.

Eſt autem Ratiocinatio ex duabus propoſitionibus ritè, legitimeq́; diſpoſitis neceſſaria concluſionis collectio, ut omnis inſidiator iure occiditur Clodius eſt inſidiator. Igitur iure eſt occiſus. Vel cum adiunctis probationibus maioris atque minoris, ſi dubiæ ſint, ancipitisq́; fidei, hoc pacto. Omnis inſidiator iure occiditur. Nam uim ui repellere licet. Clodius eſt inſidiator. Nam expeditus in equo, immenſa militum ſtipatus caterua, impetum facit armatus in Rhedam Milonis. Ergo Clodius iure eſt occiſus

Inductionum alia eſt
- Dialectica, quæ duplex eſt. Aut enim
  - Ex rebus ſingulis ſiue omnibus, ſiue maiori ex parte enumeratis rem uniuerſam colligit. ut Temperantia eſt boneſta, utilis, & delectabilis. Itidem iuſticia, fortitudo, atque prudentia. Ergo omnis uirtus eſt boneſta, utilis & delectabilis.
  - Ex enumeratione partium totum aliquid confieit, ut Plebs, ſenatus, & equeſter ordo optimè de Milone ſentit. Ergo uniuerſus populus Romanus de Milone ſentit optimè.
- Rhetorica quæ dicitur aut
  - Socratica, quia Socrates hac forma in perſuadendis uirtutibus, uitiisq́; deterrendis plurimum utebatur, quum moralem profiteretur Philoſophiam.
  - Ea autem eſt ex multis ſimilibus rei dubiæ collectio, uel quando ex multis ſimilibus nobis notis, atq; perſpectis conficimus ſimile quid nobis ignotum, ut: Is demum optimus eſt nauta, qui nauem gubernat optime. Is medicus eſt præſtantiſſimus, qui quàm accommodatiſſimè ad ſanandum curat. Is illuſtriſſimus imperator, qui omnia adhibet ad parandam uictoriam. Ergo qui quàm aptiſſime dicit ad fidem, pari ratione optimus erit orator.
  - Enumeratio Rhetorica, qua ex pluribus enumeratis aut omnibus, tandem propoſitum neceſſario colligimus. ut. Si conſecutus es Raimunde, Lulli rerum omnium cognitionem atque ſcientiam, aut eam induſtria & labore paraſti, aut afflatus minime aliquo per cæleſtem ſpiritum nactus es, aut ab ineunte ætate a natura tibi indita fuit. At neque induſtria eam comparaſti, neque adeptus es diuinitus, neque inſita tibi fuit a natura. Ergo aut a dæmone uerſutiſſimo mortalium boſte conſecutus es eam, aut certe omnis es ſcientiæ expers.

Præter has 4 ſpecies, aliæ adhuc octo recenſentur argumentationis formulæ
- Complexio, ſiue dilemma, Græci namque δίλημμα dicunt, quæ quicquid tandem dixeris, repræhendit, & arguit, ut: Si quod futurum erat, præſciueris, debuiſſes ſanè conſulere populo, quum adeſſes, quod ei foret utilius. Si neſciueris, quid me accuſas, qui fueris in eadem ignorantia mecum?
- Subiectio, qua quærimus, quid pro nobis, quid pro aduerſariis faciat, ſinguliſq́; interrogationibus ſuas ſubiungimus reſponſiones. Qua nam ſcientiæ cognitione præditus es Raimunde Lulli? An præ cæteris mortalibus tibi ſoli inſeuit natura ſcientiam rerum? At hoc fieri non potuit, cum iam adultus, nihil te ſcire profitereris. Diuinitus eam nactus es? At quum e fœdo amore incideris in aduerſam ualetudinem, ex turpitudine uenerea in ægritudinem ſummam, ac meram inſaniam, effici haud potuit, ut haberes tibi propitias mentes illas cœleſtes, quæ nemini niſi bono quidquam tribuunt. Induſtria tibi eam paraſti atque labore? At quum ultro nuſquam te ſtuduiſſe iactites, neque in ulla academia ſtudiorum ergo uerſatum eſſe, qui diligentia, ac ſtudio eam peperiſſes? Ergo quum neque ſtudio pepereris. Neque diuinitus ſis cauſa conſequutus, neque inſita ſit tibi a natura, cui dubium eſſe poterit, quin aut nihil planè ſcias, aut certe ſi quid teneas, id a malorum omnium autore adeptus ſis diabolo?
- Simplex concluſio, qua ex eo, quod antecedit, aliquid confici neceſſe eſt. ut. Si eo tempore, quo interfectum conſtat patrem Roſcij in prouincia, Roſcius fuerit Romæ, certe non ſolum non interfecit, ſed ne potuit quidem interficere.
- Enumeratio: de qua paulo ante egimus, quum tractaremus de Inductione.
- Summiſſio, qua a nobis ipſi quærimus, cur quidq; dicamus. ut. At non eſt cauſa, cur quidquam poſtulares. Qui hoc intelligi poteſt? Quia neque ex ratione priuata, neque ex ſocietatis ratione quidquam debeo, Qui huius rei teſtes ſunt? Idem qui eſt acerrimus accuſator. Ergo ſi neque ex ratione priuata, neque ex ſocietatis ratione, quidquam debeo, æquum eſt, ut nihil equidem iure compellar numerare.
- Oppoſitio, qua ex oppoſito propoſitionis ad ipſam propoſitionem reuertimus. ut: Si eo tempore quo interfectus eſt, in prouincia fuiſſet, potuiſſetis ſuſpicari ad ipſo factam cædem eſſe. Sed eodem, tempore Romæ egit. Qui ergo inducere in animum poteſtis, ut credatis ab ipſo factam cædem eſſe?
- Collectio quæ rationibus & expolitionibus abſoluitur. Conſtat autem 5. partibus, Propoſitione, Probatione propoſitionis. Confirmatione Probationis, Expolitione, atque Complexione, ut ſi quis uirtutem bonam oſtendere uolens, hac utatur argumentatione. Exemplum enim ſubijciam breue, rudi expolitum Minerua, quo & citius memoriæ mandetur, & ratio artificij cernatur apertius. Virtus eſt bona. Nam id demum bonum eſt, quo nemo male uti poteſt. Cætera namque bona in peruerſum uſum utcunq; uerti poſſunt. uirtus nequaquam cum ea demum ſit uirtus, qua nemo non bene utitur. Bene autem utendo, non male utimur. Huc accedit, quod paret honores diuitias, opes, laudem, gloriã, nomen ac decus immortale. Eſt igitur uirtus bona.
- Epichiræma, quæ quinque abſoluitur partibus, propoſitione, probatione propoſitionis, aſſumptione, probatione aſſumptionis & concluſione.

Nam legitimus ſtatus partim coniecturis, partim definitionibus, partim iuris & iniuriæ tractatione explicatur. Idem iudicium eſt de tranſlatione. Quanquam uero referatur proinde ad hæc tria ſtatuum genera legitimus ſtatus, nos tamen, quando ad ipſum redierit ordo, docendi gratia, quo commodius perſpiciatur, quemadmodum pertractandæ ſint controuerſiæ Theologicæ, eius genera quoque recenſebimus, & aperiemus uſum.

DE LOCIS STATVS CONIECTVRALIS TABVLA. XXIIII.

- **Coniecturalis ſtatus Loci ſunt**
  - **Voluntas cuius loci ſunt**
    - *Affectus, quo ceu impetu quodam ad aliquid agendum, auerſandúmue: Vehementius quàm pro quieto ſtatu mentis impellimur, ut uinolentia, amor, ira, cupiditas, dolor. Ira concitati, atque inuidia Phariſæi, Meßiam ſuum interfecerunt.*
    - *Ratio, quâ ſpe commodi alicuius conſequendi, aut euadendi periculi, damniue fugiendi permouemur. Auaritia permotus Proditor, de Magdalena, quod Chriſtum ſuum ungeret, Iudas eſt conqueſtus, atq; huius damni recuperandi fiducia Chriſtum ſuum prodidit.*
  - **Facultas, quæ colligitur ex**
    - **Signis hoc eſt, dictis ſeu factis circa rem ipſam aut**
      - *Cohærentibus ut obſcuratus eſt ſol, ſciſſum templi uelum, uehemens facta concußio terræ, tota cœli permutata facies in morte Chriſti, iam in crucem ſublati. Ergo uerus fuit ille Meßias, Deiq; æterni filius in literis Propheticis ac Moſaicis libris Populo Iſraelitico promiſſus.*
      - *Antecedentibus, ut prophetæ ueteris teſtamenti prædixerunt Chriſtum ſic naſciturum, ſic uicturum, ſic moriturum. Idem in ueteri lege deſignabat agnus Paſchalis, uenditio Ioſephi, ac ſeruitus eius in Aegypto, Exaltatio ſerpentis in deſerto, immolatio Abrahæ, Sacerdotium Aaronicum atque Melchiſedech, Daniel inter Leones, Ionas in uentre ceti, Oblatio ſanguinis hircorum & animalium, Circunciſio, aliæq; innumeræ Moſaicæ legis ceremoniæ. Ergo uerus fuit ille Meßias, de quo uaticinati ſunt omnes, maxime quum iuxta eorum uaticinium ingentia ediderit miracula, cæcis reſtituerit uiſum, claudis ambulandi facultatem, mutis loquendi, ſurdis audiendi, laborantibus aduerſa ualetudine ſanitatem, dæmoniacis priſtinā integritatem, mortuis uitā.*
      - *Conſequentibus, ut poſt obitum triduo elapſo reſuſcitatus eſt a mortuis, poſtea cernentibus Apoſtolis ſuo marte conſcendit cœlos. Paulo poſt ſub forma ignitarum linguarum miſit cœleſtem ſpiritum, per quem cunctis eius fidē amplexis, ac præcipue Apoſtolis contulit uariarū linguarū cognitionē, reuelationē arcanorū Dei, iuſticiā ac robur animi incredibile, moderationem, ſcientiam atque ſapientiam ſummam.*
    - **Circūſtātijs**
      - **Perſonarum**
      - **Rerum**
      - *de quibus ſupra*
      - *Qui poſtea in eius nomine ſpiritus expulerunt immundos, curarūt ualetudinarios, uenenum biberunt citra læſionem, uita functos excitarunt, aliaq; ingentia ediderunt miracula longe grauiora, quam unquam fecerit Chriſtus. Quis igitur hunc uerum fuiſſe filium Dei atq; Meßiam in uetere lege promiſſum audebit inficiari.*
  - *Voluntatis ac facultatis collatio, qua nemini bono, niſi reo fuiſſe, id q; in accuſationem uenit, demonſtratur, aut neminem extitiſſe alium, qui rem potuiſſet æq; expedire.*

TABVLA XXV. DE LOCIS STATVS DEFINITIVI

Status definitiui loci ſunt Dialectici Definitio nãque colligitur ex

- *Enumeratione*
  - *Partium, ut homo eſt animal anima rationali & corpore conſtans.*
  - *Specierum, ut uirtus eſt, quæ prudentia, iuſticia, magnanimitate ac modeſtia abſoluitur.*
  - *Accidentium, quam uocat Cicero frequentiam comunium, Rodolphus adiacentia, ut Tyrannicida eſt percuſſor Tyranni deliberato conſilio liberandæ Reip. cauſa. Ciuitas eſt multitudo collecta ad ſtatum rerum ſuarum tuendum per ſe ſufficiens, conſenſu legum uitæq́; coniuncta. Ius eſt decretum in uſum Reip. autoritate populi, aut principis ex æquo & bono inſtitutum.*
  - *Antecedentium, Conſequentium, Coniunctorum — ex quibus oriuntur deſcriptiones Rhethoricæ.*
- *Notatione, hoc eſt, ex interpretatione ſeu ſignificatione uerbi, quam alij uſitatius, & ſignificantius dicunt Ethymologiam nominis, ut tumultus eſt, quaſi timor multus. Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ, Geometria ars metiendi terrã, Arithmetice ratio numerandi, Theologia ratio diſſerendi de deo.*
- *Proprio, ut Homo eſt animal ridendi facultate præditus. Virtus eſt habitus honeſtus, utilis, delectabilis, naturæ, modo, & rectæ rationi conſentaneus.*
- *Coniugatis, ut. Iuſticia eſt, per quam iuſtum nominamus aliquem, Bonitas per quam bonum. Honeſtas per quam honeſtum. ut illa Ariſtotelica, Qualitatis definitio. Qualitas eſt, ſecundum quam aliquid dicitur quale.*
- *Caſibus, ut Fortis eſt, qui fortiter agit, Iuſtus qui iuſte, Prudens qui prudenter, Sapiens, qui ſapienter, Modeſtus quĩ moderate.*
- *Actibus, ut Fides eſt cogitare cum adſenſione, quæ ad Euangelij pertinent doctrinam, uel quæ Chriſtianam concernunt religionem, recte firmiterq́; credere.*
- *Cauſis, ut Ira eſt affectio animi, quæ naſcitur ex ſanguinis efferueſcentia circa cor. Status eſt, qui ex criminatione actoris, reiq́; depulſione proficiſcitur. Iris eſt, quæ naſcitur ex radijs ſolis incidentibus in nubem, ut iam in pluuiam reſoluantur accommodatam, atque in morem ſemicirculi apparere, in ea tria colorum genera, puniceum, ceruleum, purpureum efficientibus.*
- *Effectibus, ut illa Platonis finitio. Deus eſt mens æterna, cauſa boni in natura. Intuentes namque Philoſophi hunc pulcherrimum ordinem in creaturis ſapientiſſime inſtitutum, ac nos de autore naturæ commonefacientem, collegerunt ex euentis effectiſq́; rerum, illum demum, qui hæc ita ſapienter inſtituiſſet, condidiſſet, regeret, ac conſeruaret, eſſe uerum ac unum deum. Idcirco definierunt ex effectibus Deum eſſe mentem æternam, cauſam boni in natura, hoc eſt ſubſtantiam ſpiritualem, uiuentẽ, intelligentem, immortalem, perpetuam, ueracem, bonam, iuſtam, remuneratricem, omnipotentem, conditricem angelorum, cœlorum, elementorum, metallorum, lapidum, plantarum, arborum, herbarum, animantium brutorum, hominum, effectricem bonarum rerum omnium, & totius ordinis in natura conſeruatricem. Illa namque omnia complectitur definitio Platonica.*
- *Similibus, ut ſtulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*
- *Diſſimilibus, ut Rex eſt, qui non ut Tyrannus tyrannide, ſed iuſticia ac pietate fertur in ſuos ſubditos, neque uiolentia atque ſæuitia, ſed ex æquo & bono regnum adminiſtrat.*
- *Repugnantibus, ijsq́; aut*
  - *Contrarijs, ut Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima, Stultitia caruiſſe.*
  - *Relatis, ut Imperator eſt, qui imperat militi. Miles, qui paret imperatori.*
  - *Priuantibus, ut cæcitas eſt priuatio uiſus. Vitium eſt abſentia uirtutis in homine capaci uſus rationis, ſi uitia priuationes uirtutum cum Theologis, quàm cum Philoſophis uirtutibus contraria dicere malumus.*
  - *Contradicentibus, ut Deus eſt, quicquid non eſt, non deus. Remouendo namque omnia de deo, quæ de ipſo negari poſſunt, facilius eum percipimus, quàm quæ ſunt ipſi propria attribuendo.*
- *Comparatis*
  - *A maiori, ut Orator eſt, qui ſophiſta maior eſt.*
  - *A pari, ut ciuitas ſine magiſtratu, eſt nauis ſine gubernatore*
  - *A minori, ut Argutus Sophiſta eſt, qui Dialectico inferior eſt*

TABVLA XXVI. DE DIVISIONE STATVS IVRIDICIALIS

Status Iuridicialis diuiditur in

- *Abſolutum, quando ex ſe ipſo iure factum depellitur & honeſtate defenditur cauſa, ita ut omnia, ex natura negocij, de quo ceu honeſto agitur, aſſumantur, non item petantur extrinſecus.*
- *Aſſumptiuũ quãdo defenſio infirma quidẽ & ex ſeipſa, ſed foris aliquid aſſumitur: ut ſi ſe reus feciſſe dicat,*
  - *Aut religionis, ut ſi quis ſacrilegum interemerit.*
  - *Aut pietatis, ut Parricidium comiſiſti Vlyſſes? Commiſi, ſed ex pietate feci.*
  - *Aut pudicitiæ, Mater namq́; Clitemneſtra, quàm interemi, ueneno prius necarat patrem Agamemnona.*
  - *Aut patriæ nomine, ut ſi quis occiderit Tyrannum. Interfeciſti Tyberium Naſica? Interfeci, ſed propter utilitatem Reip. Tyrannus enim erat.*
  - *Aut neceſſitate compulſus. Accuſatur Mancſinus, quod turpe fœdus cum Numantinis percuſſerit. Defenditur. Neceſſitate compulſus feci. Alioqui namque aut pereundum foret, aut iugo ſubeundum.*
  - *Aut ex inſcitia. ut Hoſtem credidi, idcirco interfeci.*
  - *Aut caſu, ut Iaculatus in feram, interfeci hominem.*

TABVLA XXVII. DE PARTIBVS STATVS ASSVMPTIVI.

Autor ad Herennium Cornificius ſecutus Ciceronẽ diuidit ſtatũ aſſumptiuũ in

- **Conceſſionẽ cuius partes ſunt**
  - Deprecatio, quando conſultò quidem, & data opera nos feciſſe fatemur, nihilhominus tamen precamur ueniam.
  - **Purgatio quãdo conſulto feciſſe ſe negat, ſed**
    - Aut caſu, ſeu forte fortuna, ut ſi quis telum torſerit in hominem, quum figeret ceruum.
    - Aut ex ignorantia non quidem iuris, quæ perraro adhibetur, maximè ſi ſit affectata, aut craſſa, ſed facti, ut ſi quis telum torqueat in hominem, quem exiſtimat ceruum eſſe.
    - Aut ex neceſſitate, ut ſi quis ui coactus, dedat ciuitatem, aut metu naufragij merces in mare proijciat.
- Tranſlationem, quando in aduerſarium crimen conferimus, atque ita in eum contorquemus, ut pariter etiam accuſemus, ut: Feci quidem, ſed prius ab ipſo laceſſitus iniuria.
- Remotionem criminis, quando non quidem in aduerſarium, ſed in alium culpa transfertur.
- Comparationem, quando propter utilitatem Reip. propter bonum commune feciſſe nos dicimus, ut utrum magis fuerit ex re Reip. uiuere Clodium, an interfectum eſſe.

TABVLA XXVIII. DE LOCIS STATVS ABSOLVTI.

Status abſoluti loci ſunt partes iuris. Ius autem eſt decretum maioris poteſtatis ex æquo & bono inſtitutum.

Ius diuiditur in

- **Humanum quod diſtrahitur in**
  - **Publicum**
    - Naturale, quod nobis non opinio ſed quædam uis innata inſæuit.
    - Ius gentium, quod omnibus eſt gentibus commune.
    - **Ius ciuile quod diſtribuitur in**
      - Leges, quæ ſunt a populo magiſtratu ſenatorio interrogante, conſtituta
      - Plebiſcita, ſiue populiſcita, quæ percontante conſule ueluti tribuno, a plebe ſancita ſunt atque decreta.
      - Senatuſconſulta, quæ ſtatuit ſenatus.
      - Principum placita, quæ ipſi mandarunt principes.
      - Reſponſa prudentum, quæ a Caio, Vlpiano, Papiniano, alijsq́; prudentibus uiris ſunt ædita, ac poſtea autoritate principis confirmata.
      - Aedicta Pretoria, quæ Prætores aut ædiles curules denunciarunt.
      - **Huc referuntur**
        - Conſuetudo, quæ ſine lege propter antiquitatem, perinde ac ſi legittima foret, eſt uſitata,
        - Iudicatum, de quo alij ſuam tulerunt ſententiam.
        - Aequum & Bonum. Nam iura omnia ſunt ex equo & bono inſtituta. Alioqui enim non ius, ſed ſumma eſſet iniuria.
  - **Priuatum, ut ſunt**
    - Pactum quod inter aliquos conuenit.
    - Conuenta.
    - Chirographa ſiue Tabulæ
    - Stipulatio. & ſimilia.
- Diuinum, quod pontificio iure & canonico continetur, quod Propheticis Euangelicis & Apoſtolicis literis præſcribitur, quod complectitur uaticinia Prophetarum, Sibyllarum oracula, pronunciata diuina, decreta Pontificum, teſtimonia. ueterum Theologorum ut Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii Cipriani & aliorum.

TABVLA. XXVIIII. DE STATV LEGITTIMO.

Status legittimus diuiditur in ſtatum

- Deſcripto & ſententia, quando aliud ſcripſiſſe, aliud ſenſiſſe autorem dicimus. ut. Vtrum Euangelica perfectio permittat habere peculium, an omnem potius propriam rerum adminiſtrandarum œconomiam in politia Chriſti pernicioſam indicet, ut nolunt Anabaptiſtæ.
- Ex contrarijs legibus, quando duo ſcripta aut plura ſibi diſſidere uidentur, & ex diametro ſecum pugnare. ut. Vtrum ſcriptũ illud ſolũ unũ eſſe Deum, quod habetur Deuteronomij. 4.6. & 32. atque Eſaiæ. 44. & 45. & 1. Corinth. 8. repugnet illi. Ego dixi quia uos Dij eſtis. Vtrum diſſideat Paulus in Epiſtola ad Romanos. ubi in ſola fide iuſticiam poſitam eſſe ait, cum Iacobo Apoſtolo, qui, præter fidem etiam opera requirit ad iuſtificationem hominis.
- Ambiguum, quando uerba ſcripti plura ſignificata habere uidentur. ut. Vtrum hæc ſit ſententia ſcripti. Hoc eſt corpus meum, id eſt, hoc ſignificat corpus meum (ut intepretantur Oecolampadius, Suinglius, Caroloſtadius, Anabaptiſtæ, & Sacramentarij omnes) quemadmodum Petra autem erat Chriſtus. i. Petra ſignificabat Chriſtum. An uerba potius ſint in propria & genuina ſignificatione accipienda, ut Bucerus, Philippus Melanchthon, Pomeranus, Martinus Lutherus, ac uniuerſa docet Eccleſia Catholica.

  Vtrum λόγος apud Euangeliſtam ſignificet cogitationem ſeu propoſitum patris, uelut docuerunt Samoſatenus, Photinus & Seruetus, ut citius tollerent diuinitatem Chriſti, ac ſolam eius aſtruerent humanitatem, an potius perſonam, ut Arrius, qui tamen ipſe triada perſonarum in diuinis negauit, & omnes docent doctores Eccleſiaſtici.
- Ratiocinatiuum, quando ex ſcripto aliud quod ſcriptum non eſt, colligimus, ut. An idcirco quia in locum circunciſionis ſucceſſit baptiſmus, efficiatur idem præſtitiſſe apud Iudæos circunciſionem, quantum attinet ad iuſtificationem, quod nunc facit apud Chriſtianos baptiſmus. Et an hoc ſolum ſit diſcriminis inter hæc præcipua legis Moſaicæ & Euangelicæ ſacramenta, quod per baptiſmum reſerantur cœli, non item per circunciſionem.
- Definitiuum, quando de uerbi definitione controuerſia eſt, ut quid ſit iuſticia Euangelica, quid ſit perfecta charitas, quid ſint ſacramenta Eccleſiæ Dei. Sint ne teſſeræ duntaxat & ſigna, quemadmodum ceremoniæ legis Moſaicæ, an etiam gratiam conferant atque iuſticiam.

  Quidnam, quando dicitur unum quidem eſſe Deum, tres tamen diuinitatis perſonas, ſignificet ibi nomen perſonæ ſubſtantiam ne indiuiduam, intelligentem, incommunicabilem, ut Veteres, an ut recens Seruetus habitum & officij diſtinctionem, quemadmodum dicimus hiſtrionem ſuſtinere perſonam Thaidis, Pamphyli, Chremetis, Glicerij atque Thraſonis, & aliã eſt perſona ſerui, alia domini, & Cicero ait. Magnum eſt in Rep. tueri perſonam principis.

QVANDO HIS SIT ORDINIBVS VTENDVM.

Quantum attinet ad ordinem rerum, perpetuo niſi quid obſtet, utendum fere eſt ordine naturæ, ut primo loco ponatur exordium, deinde narratio, poſtea confirmatio, poſtremo peroratio.

Sic etiam in narratione, niſi quid ſit impedimento, naturalis ordo ſeruandus eſt.

Idem iudicium eſto de Confirmatione. Nam primum intentio ſiue propoſitio cum adiuncta ratione, ſi dubiæ fuerit ancipitiſq; fidei, conſtituenda eſt. Hinc cum annexa probatione ſi fuerit ambigua et incerta, ſubiungenda eſt aſſumptio. Vnde complexio ſiue concluſio demum eſt colligenda.

Non me latet interim frequentiſſimè etiam complexioni minorem, minori maiorem ſubijci enunciationem, quemadmodum et exordio confirmationem, confutationi narrationem, narrationi confirmationem non raro uel præponimus, uel ſubijcimus. Verum id relinquitur iudicio, arbitrioq; dicentis.

At quotieſcunq; uel negocium de quo agitur, ſint, uel circunſtantia perſonæ, temporis, ac loci permittit, perpetuo naturalis uſurpandus eſt ordo, qui tamen pro loco, pro tempore, pro cauſa, pro occaſione, pro auditore ſæpenumero permutatur, ut paulo ante ſubindicauimus. Illa uero permutatio ex conſilio pendet, prudentiaq; dicentis. Si namque infenſi fuerint auditores, prima poſtremo dicenda ſunt, non ſecus quàm facit in oratione pro Milone Cicero, quum exordio ſubiungit repræhenſionem, repræhenſioni narrationem, narrationi confirmationem.

DE ORDINE GENERIS DEMONSTRATIVI. TABVLA II.

Ordo generis Demonſtratiui Triplex eſt. Aut enim ſeruatur gradus

Temporũ hoc eſt, quando res ita narrantur, ut geſta ſunt, ut quæ primo geſta ſunt, narrentur primo, quæ poſtremo peracta ſint, exponantur poſtremo, Tempora igitur conſequentia coniunctis, coniuncta anteecedentibus poſtponantur neceſſe eſt. Antecedentia ſunt, quæ ante nos conſiderantur priuſquam ſumus æditi in lucem, ut Maiores, Genus, Patria. Coniuncta ſunt, quæ nobiſcum ſunt, ut memoria Ingenium, agilitas, docilitas, diuitiæ, honor & ſimilia. Conſequentia, quæ poſt fatum ſpectantur, & obitum, ut funera, exequiæ, forma & exiſtimatio hominum: Hunc ergo ordinem breuiter rite legittimeq; ſumus obſeruaturi, quotieſcunque auſpicati à natalibus, deinceps aperiamus quid illi, quem laudandum ſuſcepimus, in infantia, in pueritia, in adoleſcentia, in iuuentute, in ætate uirili, in ſenectute, in ætate decrepita, in obitu & poſt obitum euenerit.

Diſtributionis generũ. Quod duobus fit modis. Aut enim

In bona animi, corporis & fortunæ diuidimus laudanda.

Aut dicta factaq; ad certa quædam genera uirtutum redigimus, ut ſi principum res geſtas extollamus, in tres aut 4. reducemus uirtutes, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinẽ, et iuſticiã. Quemadmodum laudes Pompeij diſtribuit Cicero in ſcientiam rei militaris in uirtutem, bellicam, inquam, hoc eſt, magnanimitatem, in fœlicitatem & autoritatem.

Aut eſt uarietas inæquabilis, coniuncta ex modis præcedentibus. Sic Cicero in quadam oratione gradus temporum deſcribit. Incipit enim à pueritia. Seruat interim tamen uarietatẽ quoque inæquabilẽ quia parua magnis intermiſcet.

Eſt autem uarietas inæquabilis, quoties

- Aut parua magnis
- Aut ſimplicia coniunctis
- Aut obſcura dilucidis
- Aut læta triſtibus
- Aut incredibilia probabilibus

intexuntur

Præter, has tres collocationis formulas, duas adhuc recenſet Cicero, quarum altera eſt propria

Amplificationis, quam proprie dicimus incrementum, quando a minoribus, deferimur ad maiora, conaturi quempiam magnifice extollere laudibus, ut in oratione pro Marco Marcello facit Cicero. Siquidem ampliſſima exaggerandi ratio ea demum eſt, quæ eo perducitur, ut altius peruenire non poſſit.

Extenuationis, quæ eſt amplificationi contraria, quando a maioribus ad minora decurrimus. Vſu autem uenit, quotieſcunque ſtat ſententia laudes alterius, atque uirtutes deprimendo alleuiare, ut ſi quis Hannibalem, quod multa præclarè in Rep. Romana geſſerit expugnanda, primum prædicet, deinde turpem ipſius exitum & calamitoſum oſtendat. Sic pluribus Cicero prima Philippica M. Antonij extollit laudibus initio, quo poſtea ipſum merita grauius deprimat, uituperetq; uehementius.

Verum hæ diſpoſitionum formæ referri facile poſſunt ad ſuperiores collocationis ſpecies. Neque enim unquam ſectamur ordinem naturæ, aut temporum gradus, neque quid in certa quædam capita diſtribuimus, neque parua magnis, ſimplicia coniunctis, obſcura dilucidis, læta triſtibus, incredibilia probabilibus permiſcemus, niſi frequenter a minoribus deferamur ad maiora, aut contra, a maioribus ad minora, hoc eſt, niſi crebro laudes alterius amplificemus, aut extenuamus.

DE COLLOCATIONE GENERIS DELIBERATIVI. TABVLA. III.

Iam rediit ordo ad deliberationem. In hoc genere raro adhibetur exordium, Sunt enim plerunque præparati eorum animi, qui ad conſultandum ueniunt. Quando tamen fuerit, perbreue ſit oportet. Non me latet interim in oratione contra Rullum prolixum ſatis uſurpari exordium a M. Tullio, uerum id ratio ac cauſa poſtulabat, quod erat dicturus de lege Agraria. At tametſi haud poſtulet interim exordium, non erit more tamen Satyrarum ex abrupto incipiendum, ne in morem Tragicorum uideamur uociferari, quaſi inſanientes. Habet tamen interim uel peculiarem gratiam in Epiſtolis, ſi uel ab exclamatione, uel ab alia ſimili figura auſpicemur.

Porrò ut intelligamus, quando utendum ſit exordio in conſultatione, duo oportet deliberationum genera conſtituamus.

Deliberationum namque altera eſt

- Priuata, quando petenti conſilium damus priuatum, ut ſi pater conſulet de collocanda filia.
- Publica, ut ſi quis deliberet de ſuſcipiendo bello cum Turcis de ineunda pace cum Rege, de adminiſtratione Reip.

In deliberatione priuata non eſt quidem opus Exordio, quum is qui ultro conſilium petit, ſatis ſit ad audiendum paratus. Si uero pu-

blica fuerit conſultatio, interdum adhibendum erit, interdum prætermittendum. Ariſtoteles quidem nunquam permittendum putat in deliberatione exordium, & ſi adhibeatur, ex iudiciali genere peti ait. Verum is non ſpectauit mortalium animos, ut ſunt, at ut eſſe debent. Quum igitur homines in deterius plærumque fluctuant, admonendi ſunt, ut ſuam audiant ſalutem.

DE NARRATIOOE HVIVS GENERIS.

Hactenus de Exordio, nunc ad narrationem accingamur. Raro narrandum in hoc genere docet M. Tullius. Narratio enim eſt præteritarum rerum. Suaſio uero futurarum. Quod ut facilius percipiamus, duplex diſtinguenda eſt Narratio ex Quintiliano, Altera namque eſt eius rei, de qua deliberatur. Altera rerum extrinſecus pertinentium. Prior eſt quæ ordinem, conditionem & ſtatum rei, de qua agitur, continet, ut illa Ciceronis, dum bellum Mithridaticum Pompeio committendum perſuadet, & dubitat, num prælium ſit confectum, nec ne. Poſterior eſt, quæ non quidem ad cauſam ſpectat, attamen deliberationis adiuuat fidem, ut ſi Cicero eodem tempore bellum geſtum narraſſet.

Eſt igitur in priuata deliberatione poſterior quidem Narratio, ut ſi quo pacto collocata ſit filia uicini, quemq; in modum illi ſucceſſerit, narret. At in publica utraque repetitur propoſitio.

Quando igitur narrandum eſt in conſultatione? ubi ignorent auditores negocij, de quo agitur, conditionem, ſtatum aut ordinem. Quatuor enim de cauſis narrare plærumque conſueuimus, uel ut laudaremus, uel ut uituperaremus, uel ut confirmaremus, uel ut ſi quæ forte exeidiſſent, in memoriam redigeremus. Nunquam igitur narrandum, quoties conditionem rei, ſtatum, aut ordinem tenent.

DE RELIQVIS PARTIBVS DELIBERATIONIS.

Confirmatio ſemper erit uſurpanda, ſubdendaq; continuo propoſitioni, quæ ſummam deliberationis continet, ac breuiter complectitur, quicquid in conſultationem ueniat ac diſceptationem. Sumitur autem confirmatio huius generis ab honeſto, ab utili, a tuto, a facili a Pio ac iuſto. Sicq; ordine deducitur tantiſper, dum peruentum fuerit ad cōfutationem, ubi ſi quid contrarium ab aduerſarijs obiectum fuerit, breuiter eſt diluendum. Quo confecto, cum acri quadā adhortatione repetitis totius deliberationis præcipuis firmamentis, apte ſuccincteq; concludendum erit, ac perorandum.

DE COLLOCATIONE GENRIS IVDICIALIS TABVLA IIII.

Nunc ordo rediit ad iudiciale genus. In quo duplex reperitur Collocatio. Quanquam enim in demonſtratiuo laudantis & uituperantis, eadē ſit diſpoſitio. Eadem quoque in Deliberatiuo ſuaſoris & diſſuaſoris, alia tamen accuſatoris eſt in iudicio, alia defenſoris. Siquidem quorum fines diuerſi ſunt, diſpoſitio eadem eſſe haud poteſt. At alius eſt finis accuſatoris, alius defenſoris, cum huius finis ſit clementia, illius uero ſæuitia. Igitur alia etiam erit defenſoris collocatio, alia accuſatoris.

Duplex igitur eſt Collocatio generis iudicialis, Alia namque { Accuſatoris / Defenſoris }

DE COLLOCATIONE ACCVSATORIS

Accuſatori exordio utendum eſt accommodato ad ſeueritatem, Narratione uero ueriſimili cum adiunctis rationibus, quibus probabile fiat rem ita geſtam eſſe ab aduerſario, quemadmodum exponitur. In confirmatione uero, firmamenta aſſumet grauiſſima, in iiſq; diutius commorabitur, non nudas leuiter propoſitiones proponendo, neque frigidis quæ ex iis conficiuntur, referendo, ſed uehementer & acriter, cum amplificatione, & motu enunciando.

Narrata autem re ac confirmata, digreſſione utendum eſt, qua exaggerando cauſam & amplificando, inuidiam reo paremus, ac odium, iudicem ad iuſticiam cohortamur, reiq; facinus atrociter augeamus, ut grauiſſime puniendum uideatur, ac iuxta præſcriptum legum iure plectendum.

In peroratione uero ardentius ac uehementius permouendus eſt auditor, tamque grauiter & acriter concitandus, ut ipſe ſibi animus auferatur, & extra ſuas ſedes collocetur, & in quemuis transferatur affectum. In exordio quidem eſt etiam excitandus motus, ſed leuiter dumtaxat. Grandiores perorationi ſunt relinquendi. Quemadmodum namque fides eſt & in narratione & confirmatione, ſed in hac ut ſede propria, in illa ut fundamento, ſic motus eſt in exordio & peroratione, ſed in hac concitatior, in illo ſedatior.

DE COLLOCATIONE DEFENSORIS.

Contraria contrariorum remedia ſunt, ut ait Hypocrates, Accuſator uulnus infligit. Defenſor uero medicinā adhibet, & curat uulnera ab accuſatore accepta. Igitur omnia contraria ſunt facienda in defenſione, qua accuſatio fuit inſtituta. Ac proinde dicit Quintilianus tanto difficilius eſſe defendere, quā accuſare, quanto difficilius eſt curare uulnera, quā infligere.

Principium igitur ad conciliandam beneuolentiam ſumendum eſt defenſori ad mitigandos & leniendos animos audientiū, quos exaſperauit aduerſarius.

Narratio ſi tota ſit pro nobis, erit adhibenda, ſi tota contra nos, prætermittenda, ſi partim pro nobis, partim contra nos, reſecanda quæ lædunt, quæ proſunt exponenda.

In confirmatione firmamenta accuſatoris uel diluenda ſunt, ſi ſint aut falſa, aut ficta, aut leuia, uel ſi dilui nequeunt, obſcuranda, & per ſe dubia incertaq; demonſtranda. Sin neque dilui poſſunt neque obſcurari, refellenda ſunt, ut ſeſe occaſio offert. Hoc eſt uel digreſſionibus obruenda, & animus audientium amplificatione certæ cuiuſdam rei, quam in cauſam transferimus, aut in perſonam aduerſarij, à negocio propoſito auerſandus, uel proferendo rationem, qua doceamus turpe ac fœdum eſſe, aut certe non ſatis æquum, eiuſmodi ab aduerſarijs obijci lenienda & extenuanda, uel eadem, aut maiora aut ſimilia in aduerſarium regerenda.

In Peroratione referenda ſunt omnia defenſori ad miſericordiam, quemadmodum ſæuitiæ ac crudelitati cuncta deſtinat accuſator.

Quid igitur? ſemper hic obſeruandus eſt ordo? Accuſator quidem niſi quid obſtet, ſatius eſt, ut ordinem ſectetur naturæ. Itidem & defenſor, hoc eſt, ut primo loco ponant exordium, Exordio ſubiungant narrationem, narrationi confirmationem, confirmationi perorationem ſubijciant. Dico niſi quid obſtet, Mutantur namque præcepta Rhetorum ex neceſſitate, occaſione, temporibus, negocijs atque

perſonis. Prout igitur qualitas perſonæ, loci temporis atque negocij poſtulat, diſponenda ſuo quæq; ſunt loco, & ordo potiſsimum accommodandus iudicio auditoris, Verum hæc pendent ex arbitrio prudentiaq; dicentis. Quare diligenter circunſpiciat, atque ex utilitate negocij cuncta metiatur, oportet.

DE ORDINE GENERIS DIDASCALICI. TABVLA V.

Diximus duas eſſe generis didaſcalici partes. Expoſitionem & Argumentationem, Expoſitionum alia eſt oratoria, alia hiſtorica, alia poetica. Quare triplex etiam erit expoſitionum ordo, ut paulo poſt in tabulis demonſtrabitur. Has cum Cicerone narrationes dicere maluit Ludouicus Viues. Rodolphus appellat expoſitiones.

Argumentationes autem quia adhibentur ad confirmandas quæſtiones. Primum enim proponitur quæſtio, deinde ad hanc approbandam argumenta eruuntur è locis, quæ applicata quæſtioni in formam conijciuntur argumentationis, ita ut argumenta deprompta è Topicis, propoſitorum ſubeant uicem, hoc eſt, propoſitionum antecedentium. Quæſtio uero quæ ex hiſce conficitur, concluſionis, aſſumit enim faciem complexionis ex enunciationibus, quæ anteceſſerunt, collectæ. Quum igitur proferantur argumentationes, ut quæ in controuerſia uerſentur quæſtiones, firmentur & explicentur, æquum eſt, ut non de argumentationum hic tantum collocatione dicamus, uerum etiam de ordine quæſtionum.

Verum enimuero, Quandoquidem in artibus ſemper uel exponimus uel argumentamur, hoc eſt, uel tantum animi noſtri ſententiam aperimus, ac uelut ſequentem, ducimus, nullo quo fides audienti fiat, adhibito, uel diſsidentem repugnantemq; trahimus atque conuincimus, efficitur utique & hunc de ordine artium agendum eſſe.

Nec diſpari ratione de diſpoſitione concionum Eccleſiaſtarum, quorum cura in interpretandis Euangelijs, uaticinijs, oraculis, monumentis Apoſtolicis, pronunciatiſq; diuinis eſt poſita.

Collocatio igitur Generis Didaſcalici diſtribuitur in ordinem
- Narrationum
- Quæſtionum
- Argumentationum
- Artium
- Concionum

Narrationum alius eſt ordo narrationum
- Verarũ quarũ altera eſt
  - Oratoria, in qua niſi aliter ſuadeat utilitas cauſæ, ſemper ſequendus eſt ordo temporum.
  - Hiſtorica, in qua nunquam receditur à diſpoſitione naturæ, ne uideatur uſquam a ueritatis laude, quæ uel maxime probatur in hiſtoriographis, declinare hiſtoricus.
- Fictarũ quas Eraſmus Fabuloſas et commentitias, uocat, ut ſunt poeſes Comicæ, Tragicæ & Heroicæ. Cicero ueriſimiles, ut Comœdias, & incredibiles, ut tragedias, Rodolphus Poeticas, Nos cum Ludouico Viue fictas dicere maluimus. Quarum alia eſt
  - Ἐξηγητικὸν, quam nos enarratiuam uocare poſſumus, in qua continuo ſoli loquuntur Poetæ, ut Pareneſes, Epigrammata, Protreptica, Didaſcalica, Elegiæ, Georgica, Epitaphia, Odæ.
  - Δραματικὸν, in qua ſolæ loquuntur perſonæ, ut Comœdiæ, Tragœdiæ, Eglogæ, Satyræ, Buccolica. Hanc actiuam dicere poſſumus.
  - Μικτὸν, in qua & poeta & perſonæ loquuntur, ut in libris Aeneidos Maro, Homerus in Odyſſeæ atque Iliados opere. Hieronymus Vida in uita Chriſtiados. Hanc mixtam appellamus Poeſin.

In Exegeticis quandoquidem ſoli loquuntur Perſona Poetæ eſt non aliter, quam in hiſtorijs & narrationibus oratorijs perpetuo obſeruandus ordo naturæ.

In drammaticis maxime locum habet ordo artificialis. Qui tamen ſpectando faciem rerum, quæ deducuntur in actum, quæ perſonarum geſtu ac uerbis repræſentantur, ordo uidetur obſeruari naturæ. At totum fabulæ complexum intuenti, cum poſtrema primo ſæpenumero loco dicantur, et prima poſtremo, arbitrarius in ſpeciem apparet ordo, At ſi utrunque et colorem loquentium perſonarum, et uniuerſum pariter Comœdiæ, Tragœdiæq; reſpiciamus ambitum, neque naturalis, neque arbitrarius, ſed artificialis erit ordo, cum hoc planè pendeat ex iudicio, prudentiaq; ſcriptoris, quæ res primo actione ſint exprimendæ, quæ poſtremo. Interdum namq; ſatius exiſtimat eſſe, colorem tueri inductæ perſonæ, interdum naturalem, quem totus fabulæ requirit ſeries, perſequendum ordinem putat.

In Poematis Mixtis, maxime Heroicis non ita crebro permittitur artificialis ordo, ut in Tragœdijs, Comœdijs, Buccolicis, Satyris, æglogis, alijsq; drammaticis. Verum interim uel peculiarem habet gratiam, ſi minus geſtarum perſequantur ordinem rerum, at ſolum perſonæ, cui uerba dant atque orationem, tueantur colorem. Fit enim plerunque, ut conſulto ordinem temporum, ſi rerum geſtarum ſpecies naturam perturbent, atque è medijs auſpicentur rebus, cum perſonæ creberrime ſæpenumero primo narrent, quæ omnium geſta ſunt poſtremo. Etiam pictura res depinguntur, Quæ ſubinde repræſentant et manes atque Sibyllæ, Oracula quoque ac uaticinia tum quæ anteceſſerunt, narrant, tum quæ multo poſt conſecutura ſunt, annunciant. Alioqui namque non præpoſuiſſet Publius Maro erroribus Aeneæ è Sicilia nauigantis in Aphricam, excidium Troiæ, cum bellum Troianum uel ante decennium prius fuerit confectum à Græcis, quam Aeneas erat è Sicilia delatus in Africam.

- **Ordinũ quæſtionum diuis eſt**
  - **Proprius**
    - **Negociorum forenſium, in quo quæri mus**
      1. De facto, ut an factum ſit, fiat, an futurum ſit, poßit ne fieri, & ſi factum ſit, quo pacto confectum ſit. Qua de cauſa factum ſit, mutari ne poßit.
      2. De nomine facti, quum namq; feciſſe ſe fatetur aduerſarius, proximum eſt, ut quæratur, quo nomine appellandum ſit factum. Quæ quidem controuerſia, quandoquidem dirimi nequit, niſi primum nomen, quod in diſceptationem uenit, breuiter quid ſit, aperiatur, quærendum erit hic de nominis definitione, notatione, diſtributione, genere, ſpecie, differentia, proprio.
      3. De qualitate facti. Nã ſi et factum conſtet, & quæ ſit uerbi appellatio, in confeſſo ſit, de honeſtate, utilitate, æquitate ac comparatione negocij geſti quærendum eſt, et iure ne, an iniuria factum ſit, diſceptandum.
    - **Artium ac ſcientiarum, in quo primũ quærimus**
      1. Quid nomen ſignificet? ſi fuerit ambiguum et obſcurum.
      2. Deinde An ſit?
         - An res ſignificata per nomen ſit, fuerit, an futura ſit
         - Aut ſi nihil horum concedi debeat, eſſe ne poßit?
         - Aut ſi ſit, futura ſit, aut fuerit, quæ ſit eius origo?
         - Quæ cauſa extiterit?
      3. Tum Quid ſit, qua quæritur ordine
         - De genere
         - De ſpeciebus
         - De differentia
         - De definitione
         - De diuiſione
         - De toto
         - De partibus
         - De coniugatis
         - De proprijs
         - De cauſis, omnis namque definitio eſt cauſa rei
      4. Poſtea quale ſit, qua quæritur de rerum
         - Magnitudine
         - Multitudine
         - Relatione
         - Qualitate
         - Motu
         - Materia ſiue ſubiecto
         - Euentis
         - Loco
         - Tempore
         - Modo
         - Inſtrumento
         - Facultate.
         - Actibus, et ut ſemel dicam de adiacentibus ac proprietatibus omnibus.
      5. Poſtremo cur ſit, ubi quæritur
         - De forma ſiue efficientibus, cognatis, repugnantibus. Verum hæc poſtrema quæſtio refertur partim ad quæſtionem quid ſit, partim ad quæſtionem an ſit, ubi etiam de cauſis quæritur.
  - **Communis ſcriptorum omnium**

- **Communis ſcriptorũ omnium duplex eſt ordo**
  - **Prior requirit, ut ponantur**
    1. Initio, quæ quàm latißime patent, Deinde
    2. His ſubdantur, quæ contractiores ſunt.
    3. Poſtremo contractißimæ collocentur.
  - **Alter, ut**
    - Primo conſtituantur, quæ alterius quæſtionis explicationi aliquid adferunt lucis,
    - Vel quæ ad fidem alteri faciendam pertinent,
    - Vel quæ propter difficultatem maiorem requirunt attentionem,
    - Tum quæ leuiores ſunt, ac faciliores,
    - Deniq; quæ ad conciliandam rei propoſitæ fidem plurimum præ ferunt roboris.

TABVLA VII. DE DISPOSITIONE ARGVMENTATIONVM.

- **Argumentationum ordo poſtulat, ut**
  1. Robuſtißimæ in fronte Dictionis collocentur,
  2. Imbecilliores in medium uelut aceruum conijciantur, ut ſi minus per ſe, ſaltem coaceruatæ, ſimulq; iunctæ cumulo ualeant, ac multitudine.
  3. Quod maxime auditorem trahat, repugnantemq; conuincat, in calce ponatur.

Partium argumentationis duplex eſt ordo:
- Naturalis, qui poſtulat, ut
  - Primum proferatur Propoſitio Maior,
  - Deinde minor ſiue Aſſumptio
  - Demum ex maiore & minore colligatur Complexio
- Artificialis, qui conſulto hunc ordinem naturæ perturbat, ne oratio ubiq; appareat ſui ſimilis, eandemq; paßim exprimendo Ideam, tædium pariat, atque faſtidium, ac puerilem ueluti præ ſe ferat oſtentationem, Quod compertum eſt non raro in Ioanne Scoto, in Thoma Aquinate, in Durando, in Bonauentura, in Hadriano Pontifice, in Egidio Romano, in Gaietano, in Holcot & Bricot, atque eiuſdem farinæ nonnullis alijs recentioribus Philoſophis, atque Theologis, qui in Longobardum & Ariſtotelem commentati, perpetuo in leuiuſculis et argutis uerſati ſunt, quæſtiunculis, quum nunc pro & contra, & conſequentia tenet in Bocardo, & huiuſmodi permultas nenias perpetuo inculcant,

Qui igitur melioris ſunt frugis adoleſcentes, non illum perpetuo ſequentur ordinem, qui a Dialecticis præſcribitur, quemadmodum nec ſemper, quem tradunt Rhetores, orationis partium ordinem ſectantur oratores. Verum ut facundißimi quique dicendi, intelligendiq; magiſtri, nonnunquam hunc inuertunt ordinem, ac narrationi exordium, exordio confutationem, refutationi confirmationem ſubiungunt. Sic bonæ ſpei adoleſcentes, quo aures audientium uarietate demulceant, animosq; ipſorum, quo ſemper attentos habeant, deliniant iucunditate, ſubinde complexionem initio ſtatuent, cui ſubijcient prout tunc ratio poſtulabit, uel propoſitionem, uel aſſumptionẽ.

At ſi alterutra harum maior, inquam, aut minor, ancipitis fuerit, incertæq; fidei, protinus plærunque ſubiungendæ erunt rationes, quibus apertior reddatur, ac probabilior,

TABVLA VIII. DE ORDINIBVS ARTIVM.

Ordines artium quinq; ſunt:
- σύνθεσις, quam nos dicere poſſumus Compoſitionem
- ἀνάλυσις, Diſſolutionem
- διαίρεσις, Diuiſionem
- ἐξήγησις ὅρου, Expoſitionem definitionis
- ἀπόδειξις, Demonſtrationem

DE ORDINE COMPOSITIONIS ET DISSOLVTIONIS SIVE SYNTHETICO ET ANALYTICO.

Ordo Syntheticus eſt, quando à principijs ad finem delabimur. Huius præclarum extat exemplum in Phyſicis Ariſtotelis. Auſpicatur namque diſputationem Phyſices, a primis rerum naturalium elementis atque primordijs.

Ordo Analyticus eſt, quando a fine progredimur ad principia, priori planè contrarius. Cuius inſigne expreſſum eſt παράδειγμα apud Ariſtotelem in Ethicis ad Nicomachum filium, ubi Ethices diſceptationem exorſus eſt à fine philoſophiæ moralis, quem ſummum bonum omnes appellant, ipſe ſtatuit fœlicitatem, Stoici, beatitudinem uocant, quam Epicuræi collocant uoluptatem, ut ſummum malum dolorem, Stoici uirtutem, Peripatetici actionem uirtutis cum bonis corporis atque fortunæ coniunctam.

Sic ſi animus eſſet complecti rationem conſcribendorum uerſuum quam στιχουργίαν Græci dicunt, atque initio traderem de quantitate ſyllabarum, hinc de numero pedum, poſt de generibus carminum, συνθέσεως conſequerer ordinem, ſin è contrario à metrorum formulis exordium ſumerem, deinde pergerẽ ad pedum conſiderationẽ, poſtremo de metiendis ſyllabis pertractarem, ἀναλύσεως formã aſſumerẽ. Sic dialecticus incipiens a ſimplicißimis quibusq; uocibus, quæ in categorijs collocantur, porroq; delatus ad pronunciata, a pronunciatis ad argumentationes profectus, colorem tuetur τάξεως, quam σύνθεσιν uocat Galenus, Latini, Compoſitionem. Sin contra auſpicatus ab argumentatione feratur paulatim certa quadam ſerie ad pronunciata, uerbaq; ſimplicia, quæ in categoriæ claßium rediguntur ſeriem, faciem præferet ordinis, quem ἀνάλυσιν Græci, nos uocamus diſſolutionem.

DE ORDINE DIAERESEOS.

Διαίρεσις eſt, quando quod pertractandum ſuſcepimus, primum deſcribimus, deinde in partes diſtribuimus, easq; rurſus in alias ſubdiuiſas ſuccincta explanatione quid ſint, aperimus. Tum ab integro denuo ordientes, ſingula prout propoſita ſunt usque ad finem, eadem ſerie in decurſu operis explicamus. Hunc ordinem Galenus τάξιν ὁρικήν, Alij διάλυσιν, alij διαίρεσιν, alij ἐξάπλωσιν, alij ἐξήγησιν ὅρου, alij ἀνάλυσιν apud Græcos uocant. Nos uocare malumus a frequentia diuiſionum ac definitionum, quæ in ipſo ſtatim artis collocantur initio Horiſticam diſtributionẽ, ſiue διαίρεσιν. Hic ordo Platoni perfamiliaris eſt, atque hunc ſecuto M. Tullio Ciceroni, ut uidere eſt in officijs, in Tuſculanis quæſtionibus, in finibus bonorum atq; malorum, & in quæſtionibus Academicis. Quem nos etiam in hoc opere obſeruauimus, Primum namque Copiæ dicendi uestigauimus definitionem, deinde in partes eam diſtribuimus, quas breuiter definitione explanatas, deinceps proſequimur tantiſper, dum uniuerſo operi extremam manum imponimus.

DE HORISTICO ORDINE, QVEM VOCANT ἐξήγησιν ὅρου, nos definitiuum appellare poſſumus.

Διαιρέσει cognata eſt ἐξήγησις ὅρου, quam nos Horiſticum ſiue definitiuum ordinem dicere malumus, In quo primum quærimus; an res ſit, deinde quid ſit, poſtea quotuplex ſit, tum quæ cauſæ, quæ effecta, quæ proprietates, quæ cognata & affinia, quæ repugnantia ſint. Hunc ordinem ſeruat Ariſtoteles in Elenchis. Primum namque quærit an ſit Elenchus Sophiſticus, deinde quid ſit, poſtea quotuplex ſit, quæ ſint eius cauſæ, quæ proprietates, quæ cognata, quæ pugnantia. Quæ partim in primo, ut definitionem, diuiſionem, cauſas et proprietates Elenchi, partim in ſecundo explanat et diſcutit, quando diluendorum ſophiſmatum præſcribit leges.

DE ORDINE APODICTICO.

Apodicticus ordo eſt, quando initio præfiguntur interpretationes uerborum, dilucidißima quæq; pronunciata, cunctis obuia paßim atq; perſpicua, prima artis initia, ſuppoſita ſiue ὑποθέσεις, ἀξιώματα, καὶ κοιναὶ ἔννοιαι, a Mathematicis appellata, deinde demonſtrationem uel

aliud, in quo hæc uſurpemus omnia, ſubijciamus. Vocãt autem huiuſmodi præludia, alij progymnaſmata, alij antegreſsiones, Græci προλήψεις*, Latini anticipationes, prænotiones, notiones atque notitias, Hunc ordinem perſequitur diligentiſsime in Geometria Euclides, præſtantiſsimus omnium demonſtrandi artifex, Quem haud grauatim amplecti etiam uidetur Ariſtoteles in Categorijs, quum in earum præludijs eiuſmodi explanet uoces, ea axiomata enarret, illas collocet regulas atque partitiones, quibus poſtea in præludijs eſt uſurpaturus.*

ANNOTATIO DE ORDINIBVS ARTIVM.

Cæterum hoc eſt aduertendum maximè hos ordines non uniuerſis ſolummodo accommodari artibus poſſe, uerum etiam ſingulis ipſarum partibus non incommodè aptari. Nam ut modo diximus, totius dialectices ordo, ut ab Ariſtotele traditur, eſt Syntheticus. Partes uero eius uarios habent ordines. Nam in Categorijs eſt ordo Apodicticus, ut modo admodum docuimus. In περὶ ἑρμηνείας *libris Compoſitionis. In reſolutorijs quos idcirco appellat* ἀναλυτικὰς *diſſolutionis, docet namque retexere in ije complexiones in ſua principia. In Topicis partim* διαιρέσεως*, quum in diuidendo ibi maxime, definiendoq; uerſetur, partim* ἀποδείξεως*, quum huiuſmodi in primo Topicorum uerborum tradat explanationes, huiuſmodi axiomata aperiat atque pronunciata, cuiuſmodi in reliquo librorum decurſu eſt uſurpaturus. In Elenchis uero definitiuum ſectatur ordinem, quem multum cognationis, affinitatisq; habere diximus cum Horiſtica methodo.*

Sic totius Ethices ad Nicomachum filium, ordinem diximus eſſe Syntheticum. Partium uero collocatio nonnunquam διαίρεσιν*, nonnunquam Horiſticam capeſsit diſtributionem. Siquidem primo libro collocat definitionem fœlicitatis, quam ait eſſe actionem hominis iuxta optimam uirtutem in uita perfecta, clauſulas uero definitionis exactius in decurſu ſequentium librorum exequitur.*

Pari ratione in ſecundo uirtutem deſcribit eſſe animi habitum à uoluntate delectum, ſitum in mediocritate, pro qualitate rei, loci, temporis atque perſonæ definitum, atque ut indicaret uir prudens, ſuis finibus circumſcriptum. Hanc deinde definitionem à nobis, paraphraſtice redditam, porro, explorat accuratius, & quàm poteſt apertiſsimè explanat.

Sic nos reſpiciendo uniuerſas haſce tabulas oratorias, Horiſticam diſtributionem ſequuti ſumus, quum dicendi copiam primum definitam, deinde diſtribuamus in inuentionem, diſpoſitionem, eloquutionem, memoriam & pronunciationem. Quæ perſpicuis, ſuccinctisq; definitionibus explanata, deinceps exequuti ſumus tantiſper, dum toti negocio extremum addimus colophonem.

Hæc etiam in inuentione eſt obſeruata collocatio, quum in ea ſpectari dicimus genera negociorum, orationis partes, genera ſtatuum. Deinde partimur negociorum genera in demonſtratiuum, deliberatiuum, iudicialem ac didaſcalicum. Quibus breuiter illuſtratis, deinceps partes recenſuimus orationis, exordium, narrationem, confirmationem et perorationem. Poſt genera ſtatuum ceu obiter quoque, ac perfunctoriè aperuimus, diducentes eos in coniecturalem, definitiuum, iuridicialem atque legittimum, Tum denuo de integro exorſi, multo fuſius et explicatius, ſingulas orationis partes, ac genera ſtatuum aperuimus, quæ ante breuiter duntaxat, ceu ſummas, ac faſtigia rerum perſtrinximus.

In hoc ſecundo libro ἀναλύσεως *ordinem ſequuti ſumus, quum primum in uniuerſum agimus de collocatione, deinde reſoluimus in diſpoſitiones ſingulorum generum, ut quis ſit ſeruandus ordo in demonſtratione, quis in deliberatione, quis in iudiciali genere, quis in didaſcalico, adeo ut executi ſimus ordines ſcriptorum omnium, oratorum, poetarum, hiſtoricorum, Philoſophorum, Concionatorum, artium, quæſtionum, argumentationum, affectuum.*

In tertio uero libro is nobis placuit maxime, qui Ariſtoteli in Prioribus Reſolutorijs. Nam quemadmodum is tractat primum deformis argumentationis, ratiocinatione, inductione, exemplo et enthymemate, quo argumentationis natura perfectius cognoſceretur in uniuerſum. Sic nos in tertio libro ſingulorum generum locos explicuimus, eorumq; aperuimus uſum, quo pacto ex eorum admonitu, ubi cognoſceremus, in quo genere uerſatura eſſet oratio, ſtatim perſpiceremus, quid de quaq; re, quæ in hoc uel illo genere uerſatur, dici poſſet.

In poſtremo nullus Horiſtico ordine accommodatior fuit. Idcirco non potuit non arridere ſuo in loco.

QVIBVS POTISSIMVM REBVS CONVENIANT HI ORDINES.

Quanquam uero artes omnes perpetuo aliquo horum pertractentur ordinum, ut Dialectice συνθέσεως*, Ethice* ἀναλύσεως*,* διαιρέσεως *Rhetorice, Geometria* ἀποδείξεως*,* σύνθεσις *tamen artibus inueniendis,* ἀνάλυσις *pertractandis,* διαίρεσις *memoriæ mandandis,* ἀπόδειξις *demonſtrandis accommodatior eſt.*

TABVLA IX. DE ORDINE AC DISPOSITIONE CONCIONVM.

Concionum alia eſt

- *Declamatoria qua laudamus ac uituperamus, ſuademus ac diſſuademus, accuſamus et defendimus. Huius ordinis ratio eadẽ eſt cum diſpoſitione oratoria Ponitur namque*
  - 1 *Exordium ubi beneuolentiam uel a perſona uel a re aucupabuntur. Quod tamen quia honeſta plærunque eſt materia, uel adhibere poſſunt, uel omittere. cum ſatis per ſe in cauſa honeſta beneuolus ſit auditor. Docilitatem autem, et attentionem comparabunt, ſi ſit argumentum graue, inauditum, inexpectatum, nouum.*
  - 2 *Narratio, in qua breuiter exponitur ſumma quæſtionis, ſiue thematis pertractandi in concione.*
  - 3 *Diuiſio, per quam in partes diſtribuitur concio.*
  - 4 *Confirmatio, in qua ordine deinde amplificando, roborando, refellendo contraria, partes prout in partitione propoſitæ ſunt, proſequimur.*
  - 5 *Peroratio, in qua capita deinceps totius concionis breuiter cum affectu et adhortatione repetimus*
- *Enarratoria, qua arcanas atque diuinas interpretamur literas. In hac ſeriem Euangelij, aut Epiſtolæ, aut uaticinij, quod interpretandum ſumpſimus, perpetuo perſequimur, quemadmodum faciunt, qui commentarios, qui ſcholia, qui annotationes in aliquem conſcribunt autorem, aut interpretes eorum eſſe malunt, ſeu paraphraſtæ.*

TRACHELAEI STATII

TABVLARVM ORATORIARVM

LIBER TERTIVS.

DE LOCIS GENERVM NEGOCIORVM.

PROLOGVS TRACHELÆI STATII IN TERTIVM LIBRVM PROPEDEVMATVM ORATORIORVM AD ARCHIDVCEM AVSTRIÆ CAROLVM INVICTISSIMI REGIS FERDINANDI FILIVM.

COLLOCATIONEM *natura quidem præcedunt loci generum negociorum, uerum nos ordinem artificialem ſequuti conſulto turbauimus ordinem naturæ, cum collocatio ad iudicium, loci ad inuentionem pertineant. Satius nanque equidem duxi primum agere in uniuerſum de generibus negociorum, de orationis partibus, de formulis ſtatuum, deq; omnibus quæ ad rationem inueniendi pertinent, deinde de inuentorum collocatione, quàm de locis ſingulorum generum & uſu locorum, ut eſſent omnia docendo, diſcendoq; accommodatiora. Vſum autē locorum, ac generum cauſarum exemplis Theologicis ac philoſophicis aperuimus, ne ſi more Rhetorum ad iuriſconſultos delaberemur obſcuraremus potius quàm illuſtraremus.*

TABVLA PRIMA. DE LOCIS GENERIS DEMONSTRATIVI.

Loci Generis Demonſtratiui ſunt
- Corporis
- Fortunæ &
- Animi

} Bona

Bona corporis ſunt
- Valetudo
  - Proſpera, ut ſanitas, incolumitas
  - Aduerſa, ut ægritudo, morbus.
- Forma
  - Pulchra, ut uenuſtas, dignitas,
  - Deformis
- Sexus
  - Fœmina
  - Maſculus
- Aetas
  - Infantia
  - Pueritia
  - Ephorbia
  - Adoleſcentia
  - Iuuentus
  - Aetas uirilis
  - Senectus
  - Aetas decrepita
- Vires
  - Imbecillæ
  - Robuſtæ
- Membrorum agilitas
- Gracilitas
- Velocitas
- Alacritas

  } Cuius contrarium eſt { Hebetudo, Craßitudo, Tarditas, Segnities

Fortunæ Bona ſunt

- Fama
  - Honeſta
  - Inhoneſta
- Exiſtimatio
  - Bona
  - Mala
- Honores, Gloria, Decus, Amicitia, Libertas, Potentia, Opes, Diuitiæ, Proſperitas, Fœlicitas, Cognatio & affinitas — *Cuius contrarium eſt*
  - Opprobria & contumeliæ
  - Ignominia
  - Vituperium & dedecus
  - Inimicitiæ
  - Seruitus
  - Impotentia
  - Aegeſtas
  - Paupertas
  - Aduerſitas
  - Miſeria
  - Affinitatis orbatio
- Dignitas
  - Eccleſiaſtica
    - Pontificia
    - Cardinalitia
    - Epiſcoporum
    - Archiepiſcoporum
    - Diaconorum
    - Archidiaconorum
    - Patriarcharum
    - Suffraganeorum
    - Abbatum
    - Præpoſitorum
    - Decanorum
    - Canonicorum
    - Præſulum
    - Antiſtitum
    - Parochorum ac omnium ſacerdotum
  - Politica
    - Cæſarea
    - Regia
    - Ducum
    - Marchionum
    - Baronum
    - Comitum
    - Præfectorum belli, ut
      - Imperatorum
      - Tribunorum
      - Centurionum
      - Decurionum
      - Equitum
    - Legatorum, Senatorum, Iudicum ac Magiſtratuum omnium cuiuſmodi ſunt
      - Dictatura
      - Conſulatus
      - Pretura
      - Tribunitia dignitas
      - Quæſtura
      - Ordo
        - Patritius
        - Equeſtris
        - Senatorius

- *Animi Bona ſunt*
  - *Facultates animi à natura nobis inſitæ*
    - *Indoles*
      - *Peruerſe*
      - *Bona*
    - *Memoria*
      - *Firma*
      - *Labilis*
    - *Ingenium*
      - *Obtuſum*
      - *Subtile*
    - *Docilitas*
  - *Affectiones*
    - *Fauor*, *Amor*, *Deſiderium*, *Spes*, *Fiducia*, *Lætitia*, *Indignatio*, *Cupiditas*, *Gaudium*
    - *Cuius cōtrariū eſt*
      - *Odium*, *Inuidia*, *Fuga*, *Metus*, *Reformidatio*, *Dolor*, *Commiſeratio*, *Ira*, *Aegritudo*
  - *Habitus*
    - *Artiū, quarū aliæ ſunt*
      - *Cognitionis ut*
        - *Mathematicæ ut*
          - *Arithmeticæ*
          - *Geometriæ*
          - *Aſtronomiæ*
          - *Muſicæ*
        - *Philoſophia prima*
        - *Phyſice*
      - *Actionis, quæ ſunt aut*
        - *Mechanicæ ut*
          - *Architectonicæ*
          - *Fabriles*
          - *Militares*
          - *Typographicæ*
          - *Texendi*
          - *Pingendi*
          - *Sculpendi & Agricultura*
        - *Philoſophicæ ut*
          - *Ethicæ*
          - *Oeconomicæ*
          - *Politicæ*
      - *Orationis ut*
        - *Grammaticæ*
        - *Dialecticæ*
        - *Rhetoricæ*
      - *Huc referuntur*
        - *Medicina*
        - *Iuriſprudentia*
        - *Theologicæ*
        - *Hebræorum ars Caballiſtica,*
        - *Ars Raimundi Lulli atque*
        - *Poetica*
    - *Eruditionis ac peritiæ linguarum*
      - *Arabicæ*
      - *Chaldaicæ*
      - *Hebraicæ*
      - *Græcæ*
      - *Latinæ*
    - *Virtutum*
    - *Vitiorum*

- *Virtutum alia eſt*
  - *Theologica ut*
    - *Fides, qua quæ ad omnem Euangelij doctrinã pertinẽt, certo firmiterq́; credimus Cuius contraria ſunt*
      - *Incredulitas*
      - *Ἀπιςία*
      - *Apoſtaſia*
        - *Iudæorum*
        - *Ethnicorum*
        - *Hæreticorum Sciſmaticorum, atque omnium deſertorum fidei*
      - *Impœnitentia*
      - *Obſtinatio*
      - *Oppugnatio ueritatis agnitæ*
      - *Inuidentia gratiæ fraternæ*
      - *Cæcitas mentis*
      - *Hebetudo ſenſus*
    - *Spes, qua certam de conſequenda æterna beatitudine concipimus fiduciam ex gratia diuina, noſtriſq́; profectã bene meritis, cuius contraria ſunt*
      - *Diffidentia*
      - *Præſumptio*
      - *Deſperatio*
    - *Charitas, qua deum per ſe, deiq́; amore alia diligimus, ut*
      - *Pietas in*
        - *Patriam*
        - *Parentes*
        - *Cognatos*
        - *Proximos*
      - *Gaudium de bono alieno*
      - *Pax*
      - *Concordia*
      - *Beneuolentia*
      - *Humanitas*
      - *Clementia*
      - *Beneficentia*
      - *Repræhenſio fraterna*
      - *Eleemoſynarum erogatio*
      - *Religio*
        - *Timor Domini*
        - *Ceremoniæ legis*
      - *Gratitudo quæ fit*
        - *Officiorum*
        - *Honorum*
        - *Amicitiarum*
        - *memoria, & referendo gratiam*
      - *Obſeruantia qua*
        - *Aetate*
        - *Sapientia*
        - *Honore*
        - *Dignitate*
        - *antecedentes reueremur*
      - *Contraria*
        - *Impietas*
        - *Inuidia*
        - *Diſsidium, contentio, rixa*
        - *Diſcordia*
        - *Odium maleuolentia*
        - *Inhumanitas*
        - *Crudelitas, ſæuitia*
        - *Iniuria alteri illata*
        - *Schiſma*
        - *Bellum, Onichio, reprahenſionis fraternæ*
        - *Seditio*
        - *Coniuratio, conſpiratio,*
        - *Pertinacia, tenacitas*
        - *Obdurata, hipocriſis*
        - *Scandalum*
  - *Moralis*
    - *Iuſtitia*
    - *Fortitudo*
    - *Temperantia*
    - *Prudentia*
    - *Quibus contraria ſunt uicia*
      - *Iniuſticia*
      - *Temeritas*
      - *Intemperantia*
      - *Imprudentia*

- **Iuſticia**
  - **Humanitas**
    - Politica, quam magiſtratus in ciues, aut rex in ſuos ſubditos exercet, quæ cõtinetur iure ciuili, & diſtribuitur in ius
      - Scriptum ut
        - Leges
        - Plebiſcita
        - Senatuſconſulta
        - Magiſtratuum ædicta
        - Principum placita
        - Reſponſa prudentum
      - Non ſcriptum ut
        - Certa propter uetuſtatem conſuetudo
        - Pactum
        - Par
        - Iudicatum
        - Stipulatio
        - Conuenta
    - Oeconomica
      - Deſpoſita — quæ eſt ius — domini in ſeruum
      - Paterna — quæ eſt ius — parẽtis in liberos
      - Vxoria — quæ eſt ius — Vxoris in maritum, & è diuerſo mariti in uxorem
    - Ethica
      - Diſtributiua, quæ in honoribus, præmijs pro meritis pro dignitate perſonæ ſuum cuiq; tribuimus, Cuius partes ſunt.
        - Pietas, qua ius ſuum, hoc eſt, honorem parentibus tribuimus, præceptoribus, cognatis, ac magiſtratibus
        - Pietas in
          - Patriam
          - Parentes
          - Cognatos
          - Proximos
        - Obſeruantia in
          - Aetate
          - Sapientia
          - Honore
          - Dignitate
          - — Maiores
        - Fides
        - Veritas
        - Beneficentia
        - Amicitia
        - Innocentia
        - Concordia
        - Religio
        - Liberalitas
        - Benignitas
        - Vindicatio qua
          - Vim
          - Cõtumeliã
          - — propulſamus
            - Defendendo
            - Vlciſcendo
        - Gratitudo
        - Humanitas
        - Abſtinentia
        - Aequitas
        - Contraria
          - Impietas cui iungũtur cædes latrocinia parricidia, proditio
          - Irreuerẽtia
          - Perfidia
          - Arrogantia mendacium
          - Periuriũ
          - Maleuolentia
          - Inimicitiæ culpa nocentis
          - Diſſidiũ
          - Contẽptio ceremoniarũ legis actimoris Domini
          - Illiberalitas
          - Nimia tenacitas, et auſteritas
          - Ingratitudo
          - Inhumanitas
          - Auaritia
          - Iniquitas
          - Vindicationi uero repugnat ignauia in repellendis iniurijs.
      - Commutatiua, qua in commertijs contrahẽdis ſuum cuiq; tribuimus æquitatemq; conſeruamus.
        - Contraria
          - Lenocinium
          - Meretricium
          - Furtum
          - Rapina
          - Sacrilegium
          - Fraus
          - Dolus
  - Euangelica atq; diuina, quæ omnes in ſuo ambitu uirtutes, complectitur ut Theophilactus, Baſilius, atq; hos ſequuti omnes docent Theologi.

- **Fortitudo**
  - *Ficta, quæ proficiſcitur, uel ex*
    - *Experientia bellica, qua fretus quis temere ſe more militum periculis exponit*
    - *Ira, quando quis ob furorem ritu ferarum ſe periculis obijcit*
    - *Arte, ut ſi qui crebra facultatis militaris exercitatione, armorumq́; peritia freti, diſcrimini ſe uitæ obijciant.*
    - *Fiducia parandæ uictoriæ, quando robur animi non mediocre oſtendunt in aggrediendis arduis, quia aliquando rerum geſtarum gloria claruerunt, ſæpeq́; ex prælio atq; certamine diſceſſerunt uictores.*
    - *Iuſtitia, quando neſcij grauia incurrunt pericula.*
    - *Spe lucri, quando pollicitationibus, atq; præmijs, impelluntur ad ardua aggredienda negocia.*
    - *Formidine pœnæ ſiue præſentis, ſiue in legibus præſcriptæ.* } *Ciuilis hæc appellantur.*
    - *Fiducia* { *Parandæ gloriæ aut* / *Fugiendæ ignominiæ* } *Ciuilis hæc appellantur.*
  - *Vera cuius partes ſunt*
    - *Fiducia qua uirilis quis efficitur, Promptus, in quam, & expeditus ad aggredienda fortiter pericula mortis.*
      - *Sub fiducia comprehenduntur*
        - *Magnanimitas, per quam magnis, honeſtisq́; in rebus, multum fiduciæ, ſpeiq́; collocat animus.*
        - *Securitas, qua nullo perculſus timore fortiter pericula ſuſcipit.*
        - *E unnia, qua animoſus quis efficitur ad exequendas animi actiones.*
    - *Magnificentia, qua uir fortis conſtanter perſeuerat in perficiendis ijs, quæ fortiter peragenda ſuſcepit, & qua immenſa, ac grauiſſima quæq́; negocia ſibi ſuſcipienda decernit, cum ſumma animi amplitudine, atq; ſplendore.*
      - *Hæc Magnificentia in ſuo complexu continet*
        - *Heroicam uirtutē, quæ Græci [illegible] dicitur, qua quis fortiter ac ſtrenue res magnas & excelſas cum animi ampla quadam atque illuſtri cogitatione more heroum proponit, gerit & adminiſtrat.*
        - *Conſtantiam, quā uir fortis excelſo inuictoq́; animo perſiſtit in ſuſcepto opere exequendo.*
        - *Perſeuerantiam, qua firmiter in eo quod ſemel propoſuit, perſeuerat.*
    - *Tolerantia ſiue patientia qua in rebus triſtibus, & aduerſis robur magnitudoq́; animi inuicti haud frangitur, nec difficultate negocij ab honeſtate, rebusq́; præclaris gerendis deterretur, ſed in ijs potius perſequendis contra audentior redditur, ferturq́; concitatior.*
- *Contraria fortitudini ſunt*
  - Furor
  - Audacia
  - Temeritas
  - Inconſtantia
  - Impatientia
  - Securitas nimia
  - Intolerantia
  - Puſillanimitas
  - Imbecillitas
  - Pertinacia
  - Diffidentia
  - Deſperatio
  - Formido

Verecundia

Temperantiæ, quæ in dictis factisq; moderandis uerſatur, Partes ſunt	Contraria	
Verecundia, Pudor	Impudentia, inuerecundia	
Honeſtas	Inhoneſtas, Turpitudo	
Probitas	Improbitas	
Frugalitas	Apparatus ciborum, uictus ſordidus, Edacitas, Gula, Gaſtrimargia, Ventris ingluuies	
Sobrietas	Ebrietas, Temulentia, Vinolentia	
Caſtimonia	Turpitudo, Venerea, Spurcities libidinis, Luxuriei fœditas	Fornicatio Stuprum Violatio uirginum Pudicitiæ conſtrupatio Pelliceum Adulterium Inceſtus Sacrilegium Sodomia Mollicies
Pudicitia	Impudicitia	
Continentia	Incontinentia	
Animi ſubmiſſio	Superbia, Faſtus, arrogantia φαυνῆς iactantia, inſolentia, ſupercilium	
Modeſtia	Inſolentia, Petulantia, Proteruitas, Immodeſtia	
Manſuetudo	Ferocitas	
Clementia	Sæuitia	
Miſericordia	Crudelitas	
Humanitas	Inhumanitas	
Seueritas	Auſteritas	
Grauitas	Leuitas	
Affabilitas	Ruſticitas, blandities, adulatio	
Ciuilitas	Inciuilitas	
Vrbanitas	Inurbanitas	
Comitas	Scurrilitas, aſſentatio	
Hilaritas	Triſticia	
Hoſpitalitas	Inhoſpitalitas	
Decorum	Indecorum	
Parſimonia	Prodigalitas, tenacitas, profuſio, largitas	
Simplicitas	Ambitio	
Beneuolentia	Inuidia, Liuor, æmulatio, maleuolentia	
Candor animi		
Amor	Odium	
Pax	Rixæ, bellum, conflictus, prælia, certamina, contentiones, æmulationes, obtrectationes, calumniæ, maledicentiæ, contumeliæ	
Tranquillitas	Perturbatio	
Concordia	Diſſidium	
Longanimitas	Iracundia	
Taciturnitas	Garrulitas	
Pacatio mentis	Turbulentior affectus	

- **Prudentia**
  - Contemplatiua, quæ agenda expetendaq; perquiret, quæ omnibus uirtutibus præſcribit modum agendi. Et diuiditur in
    - Ethicam, quæ mores cuiuſq; componit
    - Oeconomicam, quæ ad regendam familiam pertinet
    - Politicam, quæ in pactis, legibus, plebiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, pontificum conſtitutionibus, mandatis tribunitijs, ædictis prætorijs conſumitur, atq; omnino in adminiſtrandis regnis, gerẽdaq; uerſatur Rex.
    - Militarem, quæ facultatem bellicam docet
    - Monaſticam, quæ uitam inſtruit ſolitariam
    - Eccleſiaſticam, quæ hierarchiam Eccleſiaſticam ornat, & inſtituit
  - Actiua
    - Vera cuius
      - Partes ſunt
        - Memoria
        - Docilitas
        - Ratio
        - Intellectus
        - Solertia
        - Prouidentia
        - Circunſpectio
      - Capita uero
        - Εὐβουλία i. bona conſultatio, qua deliberamus de rebus futuris, earumq; naturam perquirimus, ac quo quidq; ducat, quidue euenire poſſit, perueſtigamus
        - σύνεσις, qua naturam rei caſus, & cuncta perſpicimus
        - γνώμη, qua de rebus deliberatis, perſpectiſq; dijudicamus, ac ſententia lata agenda præſcribimus
    - Falſa, quæ præfert ſpeciem, fictamq; ſimulat imaginem ueræ, ut
      - Aſtutia
      - Dolus
      - Fraus
      - Prudentia carnis
      - Superuacua temporalium cura
      - Sollicitudo futurorum

- Contraria Prudentiæ actiuæ ſunt
  - Temeritas
  - Inconſideratio
  - Inconſtantia
  - Negligentia
  - Præcipitatio
  - Improuidentia
  - Imperitia
- Contraria Prudentiæ contemplatiuæ ſunt
  - Imprudentia
    - Monaſtica
    - Legitima
    - Regia
    - Politica
    - Oeconomica
    - Militaris
    - Eccleſiaſtica

DE VSV LOCORVM DEMONSTRATIONIS PERSONARVM.

HOSCE laudandorum, uituperandorumq; locos aperuimus idcirco, ut Quandocunq; laudandum aliquem ſumpſeris, è bonis animi, corporis ac fortunæ, laudes omnes deſumas. A bonis animi, quidem uirtutes omnes, quibus præditus eſt, enumerando, ſiue ad fidem, ſpem & charitatem pertineant, ſiue ad temperantiam, fortitudinem, iuſtitiam atq; prudentiam. Item, quarum formas paulo ante quoq; recenſuimus, ingenium, memoriam, indolem, facultates omnes naturales, atq; commotiones. Adhæc eruditionem, ac peritiam linguarum, quibus eſt perpolitus, extollendo, & quibus artibus, ac diſciplinis inſtructus ſit, aperiẽdo. Tum quo pacto, bonis corporis, atq; fuerit uſus. Quæ quidem bona non ſunt appellanda, niſi in quantum referuntur ad uirtutes & honeſtatem. Fit tamen plærunq;, ut ab hiſce bonis perſonas etiam ſæpenumero laudemus, maximè principes atq; alios plæroſq;, ſi genere nati ſint illuſtri, ſi ſuis præluxerint maioribus, ſi honoribus functi ſint, ſi ampliſſimis ſint ornati dignitatibus, ſi aucti ſint opibus atq; diuitijs, ſi honeſtam ſibi laudem atq; gloriam pepererint, ſi famam extenderint factis, ſi immortale conſequuti ſint nomen. Sic prædicatur quis agilis, gracilis, in currendo uelox ac celer. Formam quoq; Helenæ mirum in modum extulit Iſocrates. Ita laudatur alterius continentia atq; frugalitas, ſi bona, ipſum

ſum perpetuo frui ualetudine dicamus, quemadmodum contra incontinentem dicimus, ac uoluptuarium, qui aduerſa.

Secus omnia facimus, quando in uituperatione uerſamur. Eum namq; dicimus rudem, obtuſum, imperitum, memoria labilem, natura iracundum, inuidioſum, inconſtantem, ignarum, graſſatorem, ſicarium, omnibus imbutum uitijs, atq; ſceleribus, quorum formas ſuperius recenſuimus, ac ueluti oculis obiectas tabulis depictis graphice complexi ſumus.

Hoc interim aduertendum, nunquam ſatis pro dignitate laudari quempiam, aut uituperari, niſi laudes ipſius, aut uituperia uehementius augeantur & exaggerentur, Idcirco ſuperiori libro, Laudationem definiuimus eſſe expoſitionem rerum bonarum, quas cum amplificatione alicui perſonæ ineſſe dicimus. Vituperationem exaggerationem malorum, quæ alicui amplificando attribuimus.

DE LAVDE FACTORVM.

Facta laudantur ab
- *Honeſtate*
- *Vtilitate*
- *Commodis quæ inde proficiſcuntur*
- *A difficultate*
- *A magnitudine*
- *A iucunditate*

Vituperantur uero à
- *Turpitudine*
- *Incommodis*
- *Damnis*
- *Exilitate &*
- *Vilitate*
- *Facilitate ac*
- *Leuitate*
- *Inamœnitate*

Verum hi loci depromuntur à genere deliberatiuo, ut paulo poſt uidebitur.

Eadem ratio eſt de deſcriptione rerum, ut uirtutum, uitiorum, artium, ſcientiarum. Laudantur enim ab
- *Honeſtate & inuentoribus eorum*
- *Neceſſitate*
- *Vtilitate*
- *Facilitate*
- *Difficultate*
- *Magnitudine*
- *Voluptate*

Vitia uero ac res aliæ uituperãtur à
- *Fœditate*
- *Incommodis quæ ex ijs oriuntur*
- *Coniunctis moleſtijs*
- *Nefando eorum exitu, & euentu*
- *Vilitate*
- *Inamœnitate*

Topographia fit, quando locos deſcribimus, ciuitates, inquam, prouincias, inſulas regiones, ac regna, per enumerationem proprietatum, qualitatumq́ue, quæ in ijs reperiuntur. Laudamus namq; Ciuitatem à
- *Promuntoriorum, & mœnium amplitudine*
- *Magnitudine & frequentia ſacrarum ædium*
- *Turrium altitudine*
- *Moribus, inſtitutis ac multitudine hominum*
- *Splendore ac magnificentia ædificiorum*
- *Legibus ac conſtitutionibus ciuilibus*
- *Magiſtratuum ac uniuerſo ordine Politico*
- *Adminiſtratione Reip.*
- *Fœcunditate agrorum*
- *Copia uinorum, frugum, herbarum ac fructuum*
- *Amœnitate pratorum*
- *Fluminum præter labentium murmure*
- *Multitudine*
  - *Hortorum*
  - *Syluarum*
  - *Montium*
  - *Fontium*
  - *Marium & aquarum alluentium*
- *Rerum inſignium celebritate*
- *Commoditate rerum quarumlibet, quæ eo in loco reperiuntur*

Χρονογραφία fit, quando deſcribitur tempus ab ijs, quæ tunc plærunq; euenire ſolent. Quemadmodũ Ver ab.
- *Amœnitate arborum refloreſcentium*
- *Delectabili aſpectu graminum, pratorumq́ue uirentium*
- *Pulchritudine hortorum*
- *Florum, herbarum, fruticum, plantarum & arborum iucundiſſimo intuitu*
- *Iucunditate redeuntis ſolis*
- *Moderatione caloris & frigoris*
- *Facie & aſpectu cunctarum rerum reuiuiſcentium*
- *Rerum omnium temperie & æquabilitate.*

DE LOCIS GENERIS DELIBERATIVI. TABVLA XIII.

Loci Deliberationis pertinent aut ad

- **Suaſionum ut**
  - HONESTVM, *quod relucet in uirtutibus, iuſtitia, moderatione, magnanimitate, prudentia.*
  - *Vtile, quod in parandis rebus, augendis, conſeruandisq́; uerſatur, ut opibus, honoribus, diuitijs, facultatibus præmijs, aut certe in fugiendis incommodis, in uitandis noxijs, in euadendis periculis, in declinādis iniurijs, in cauendis malis, in damnis omnibus auerſandis*
  - *Neceſſarium, quod uel ſimpliciter, & abſolute fieri debet, ut Neceſſe eſt uelint, nolint, etiam inuiti Hieroſolymam dedant Iſraelitæ Tito ac Veſpaſiano, uel cum adiuncta conditione, ſi hoc uel illud fieri uelint, ut Niſi perpetuis affici supplicijs malueritis apud inferos, neceſſe eſt ad bene, beateq́; uiuendum fidem imploretis diuinam*
  - *Laudabile, quod naturā uirtutis conſequitur. Quamlibet nemo laudet, laudabilis eſt tamen ipſa natura.*
  - *Delectabile, quod uolupe eſt, amœnum atq; iucundum*
  - *Facile, quod nullo, aut certe perq̃ exiguo negocio cōficitur, quod paruo ære, aut exiguo paratur labore.*
  - *Δυνατὸν, quod haud difficulter fieri poteſt. Vtrum autem quid poſſit fieri, & an facile effici queat, colligitur ex cauſis, materia, forma, efficiente, fine. Item ab exemplis oſtenditur, atq; rebus geſtis, in quibus aut maior, aut minor, aut par ratio cernitur*
- **Diſſuaſionē**
  - *Turpe, quod eſt fœdum exitu, fœdum inceptu. Cuius fœditatis ratio ſpectatur in uitijs*
  - *Inutile, quod ſumitur ab incommodis, ut ægeſtate, ignominia, periculis, damnis, atq; huiuſmodi ſimilibus.*
  - *Execrabile, quod uituperari merito debeat & execrari, cuiuſmodi ſunt uitia. Nam ut uirtutes per ſe natura ſunt, laudabiles tametſi nemo eas laudet, ita uitia natura ſunt nefanda, & execrabilia, licet nemo uituperet ea, aut execretur*
  - *Inamœnum, quod non modo nulla allicit uoluptate, ac delectatione, uerum etiam contriſtat, ac nauſeam, tædium atq; faſtidium parit*
  - *Difficile, quod factu haud eſt ita procliue*
  - *Arduum, in quo maxima poſita eſt difficultas*
  - *Ἀδύνατον, quod fieri nulla ratione poteſt.*

DE VSV LOCORVM DELIBERATIONIS.

VSVS *horum locorum eſt, ut quandocunq; ſuadeamus uirtutes aut artes amplexandas eſſe, doceamus, q̃ ſit honeſtum, atq; decorū, q̃ iuſtum ac pium hiſce rebus inuigilare, quibus & patriæ, & parentibus, & amicis, & uniuerſæ Reip. Chriſtianæ, nobis ipſis, præſentibus omnibus, ac poſteris plurimum prodeſſe poſſimus, quibus laudem, gloriam, decus, ac nomen immortale, opes, diuitias, honores ac dignitates comparemus ampliſſimas. Quæ licet prorſus ſint neceſſariæ, tamen in ſe ipſæ plurimum habent feſtiuitatis, ac citra negociū, aut certè perfacile parari poſſunt, modo quis impenſe uelit. Aut ſi ardua uideatur ad uirtutes, ſiue ad artium cognitionem uia, eo præclariores eſſe, ac laudabiliores, eamq́; moleſtiam ſarcire affatim dulcedinem fructus, quum iuxta Homerum, atq; Platonē difficilia ſint, quæ pulchra, hoc eſt, ut ipſi aiunt, δύσκολα τὰ καλά, Tametſi ipſa eruditionis uirtutisq́; facies abunde ſatis ſuapte honeſtate ac pulchritudine mortales alliciat ad ſui amorem.*

DE VSV LOCORVM DISSVASIONIS.

CONTRA *facturi ſumus, quando diſſuademus, ut ſi ſecus fecerint ſummam ipſos manere ignominiam, ægeſtatem, calamitatem, miſeriam, grauiſſima impendere ijs pericula, ingentia damna imminere. Vnde etiam & Reſp. non parum caperet detrimenti, quum interim ipſa rei turpitudo ab in honeſtis uitiorum actionibus affatim deterreat, nullis propoſitis aut præmijs aut pœnis. Deinde q̃ fœdum ſit ac turpe, q̃ tædioſum atq; moleſtum, cernere alios pulcherrimis uirtutum officijs, præclaris rebus geſtis, doctrina non uulgari præditos eſſe atq; conſpicuos, nos perpetuò in imperitiæ, atq; uitiorum ſordibus uolutari.*

DE ADHORTATIONIBVS, DEHORTATIONIBVS ET COMMONITIONIBVS.

ADHORTATIONES, *dehortationes, ac commonitiones, eodem ferè modo inſtituuntur, niſi quòd concitandis affectibus ſibi magis indulgeant, ac ab exemplis illuſtrium uirorum, à figmentis Poëticis, ab Apologis Aeſopicis, à maiorum ſuorum actis dictisq́; præclaris, uehementer inſtigent, incitent atq; impellant, ad exequenda ea, ad quæ commonefaciunt.*

DE PETITIONIBVS.

Petitiones uero hoc pacto pertractantur recteq́; formantur.

1. *Primo quidem, ſi initio ab auditorum bene meritis, à ſignificatione uirtutis, officij, humanitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fidei, magnificentiæ, atq; ſplendoris beneuolentiam conciliamus.*
2. *Deinde ſi honeſtum eſſe dicamus ac iuſtum, quod petimus*
3. *Tum ſi exponamus breuiter, quid petamus*
4. *Dehinc ſi neceſſariam, piam, æquam, tutam ac iuſtam doceamus eſſe petitionem*
5. *Poſtea ſi facile fieri poſſe demonſtremus, quod petimus*
6. *Poſtremo, ſi nos gratos fore polliceamur, ac memores perpetuo beneficij, relaturos data occaſione & oportunitate, quando ſuppetit referendi facultas,*

DE

Cõmendationes formãtur hoc pacto ut

1 *Primum à bene meritis ipſius auſpicemur,*
2 *Deinde noſtram aperiamus poſtulationem,*
3 *Tum laudes eius, quem commẽdandum duximus, recenſeamus. Quæ ſumuntur, ex genere Encomiaſtico à bonis corporis, fortunæ & animi*
4 *Poſtea colligamus dignum hunc eſſe, cui hoc uel illud ab illo tribuatur*
5 *Poſtremo Remuneratio ſequetur, ut in oratione Petitoria. Huius extat præclarum exemplum apud Ciceronem, ubi Populo Romano Gneum commendat Pompeium, quo eius fidei cõmitterent bellum Mithridaticũ.*

DE VSV LOCORVM GENERIS IVDICIALIS.

LOCI *generis Iudicialis ſunt loci ſtatuum. Quos primo libro explicuimus. Reſtat igitur, ut hunc eorum uſum aperiamus.*

Status primus eſt ſtatus coniecturalis, in quo de facto quærimus, ut Interfeciſtis Meſſiam ueſtrum in lege uobis promiſſum Iſraelitæ? Non interfecimus. Status eſt. Vtrum Iſraelitæ Meßiam ſuum interfecerint? Ratio Interfeciſtis Ieſum Nazarenum, qui uerus fuit ille Meßias, promiſſus uobis in lege. At non, inquiunt, Hebræi, is Meſſias fuit, ſed etiamnum uenturum eum expectamus, qui aßeret Populum Iſraeliticum in priſtinam libertatem. Ex qua quidem contentione naſcitur controuerſia, quæ Græcis κρινόμενον dicitur, Latinis iudicatio, uel ut Cicero appellat diſceptatio ex firmamento accuſatorio, & ratione defenſoria coorta. Vtrum Ieſus Nazarenus uerus ſit ille Meßias in lege promißus Populo Iſraelitico?

Accuſator igitur oſtendet ex uaticinijs prophetarum, ex Sibyllarum oraculis, ex teſtimonis diuinis, ex æditis miraculis, ex dictis factisq; ipſius, ex omnibus ſignis antecedentibus, conſequentibus atq; coniunctis, hunc uerum fuiſſe in lege promißum Meßiam, quemadmodum ſuperiori libro docuimus. Deinde demonſtrabit, qui ipſum interfecerint ex uoluntate, facultate atq; harum collatione. Quum namq; probaris, qui nam ipſum uoluerint necare, quiq; potuerint, hos & feciße ratũ eſto, ut Iuriſconſulti tradunt. Ducamus igitur hãc diſceptationem per omnes ſtatus coniecturalis locos, & circunſpiciamus, num inde aliquod argumentum ducere poſſimus propoſitæ noſtræ quæſtioni accommodatum.

Recenſuimus uoluntatis duos locos, Affectum & rationem. In affectu perturbationes animi ſpectantur. In ratione commoda & incommoda, uideamus igitur utrum ex hiſce aliquid erui poßit ad propoſitæ quæſtioni faciendam fidem idoneum. Habemus ex libris Euãgelicis ingenti flagraße inuidia & odio Phariſæos in Chriſtum, quod ipſorum carperet uitam, ac Phariſaicã deteſtaretur hypocriſin. Vnde & in odium contemptumq; uenerunt hominum. Sperabant igitur fore, ut ſi is tolleretur è medio, in priſtinam redirent gratiam, exiſtimationem, dignitatem, & honorem, quod Chriſto uiuo fieri haud potuißet.

Habemus igitur uoluntatis ambos locos. Affectum, per quem oſtenditur, quo animo fuerint Phariſæi in Chriſtum, & Rationem per quam emolumenta animaduerterunt ex ipſius morte profeſtura.

Sequũtur ſigna, hoc eſt dicta, uel facta Phariſæorũ, quæ anteceſſerunt mortẽ Chriſti, uel ei coniũcta fuerunt, uel poſt ſunt cõſecutura.

Antecedentia ſunt, quod Potatorem, Comeſſatorem, conuiuatorem ac uinolentum dicerent eum. Quod obijcerent non raro in nomine Beelſebub eijcere eum dæmonia, ac obſeßum eße dæmone malo, publicanis, ac perditis, nefarijsq; hominibus amicum eſſe & familiarẽ. Quod perſæpe coarguerint ipſum pariter et diſcipulos labefactatæ contemptæq; legis Moſaicæ, quando aut illi decerperent fruges, aut hic priſtinæ ualetudini reſtitueret ualetudinarios, q crebro ad capiendum eum milites miſerint, atq; lictores. Quod ira dißecarentur atq; inuidia, quoties ipſum honore affici uiderent, quod palam in ſenatu ſtatuerent interimendum eſſe atq; in crucem tollendum, quod ædito ſenatuſconſulto decernerent, Vbicunq; tandem eſſet, depræhendendum eſſe, & in carcerem conijciendum.

Coniuncta quod ſententia lata, decretoq; ſancito ac conſtituto, nulli ſumptui parcerent in perſoluẽdo Iudæ, atq; in impellendo ad proditionem, quo nefariæ ſuæ ac temerariæ ſatiſfacerent cupiditati, nullum non mouerent lapidem, quo plebeios, ac totius Populi Iſraelitici animos, in eum iam captum exacerbarent, concitarent, accenderent, inflammarent. Quod uociferationibus Ethnicum iudicem, qui perpetuo iuſtum eum prædicabat, obruerent. Tolle, tolle, crucifige, inquientes, qui ſeipſe regem efficit Populi Iſraelitici contra iußa, mandataq; Cæſaris, contra Moyſen, legẽmq; noſtram diuinam, ſeipſe deum, deiq; filium aſſeuerat, contra ius faſq; leges omnes euertit, proſternit, enecat, imperitam ſeducit plæbeculã. uanas ac nouas ſpargit, opiniones, hæreſes excitat, nec quemq̃ in pace, ac tranquillitate Reip. uiuere ſinit. Huc accedit, quod iam captum non crudeliſſimè modo uirgis cæderent, turpißimè faciem phlegmatis defœdarent, indigniſſimè maxillis infringerent colophos, coronam è ſpinis confectam uiolentiſſimè tenero infigerent capiti, uerberibus totum laniarent, atq; conficerent corpus, opprobrijs, illuſionibus, contumelijs, calumnijs, criminationibus, iniquiſſimè laceſſerent, uerum etiam tandem exãgue corpus in crucem tollerent, ac ſupra q̃ cuiq̃ credibile eſt, urgerent, agitarent, torquerent, traherent, blaſphemarent.

Conſequentia ſunt, Quod acceſſerint iudicem, ut excubijs muniret monumentum, ne forſan ſublatus a ſeruis, dicetur reſuſcitatus, Deinde quod Apoſtolos eius à morte perſecuti ſint, ferierint, coniecerint in carceres, minis, uerberibus, a prædicando Chriſto deteruerint.

Poſthæc facultatem uoluntatemq; conferes inter ſe, nec ulli magis ceßiſſe in bonum, quàm ipſis, nullis utilius fuiſſe, neminem præter illos aliquid mali Chriſto imprecatum eſſe dices.

Poſtremo ex attributis perſonarum & rerum coniecturas pari ratione colliges.

DE VSV STATVS DEFINITIVI.

IN *ſtatu definitiuo queritur quo nomine appellandum ſit factum, ut ſi quis ſe uaſa conſecrata è loco priuato fateatur ſuſtuliſſe, ac proinde furto quidem obnoxium eſſe, ſacrilegij tamen ſe reum eße neget. Quæritur, utrum hic ſacrilegij lege teneatur, an furti. Quæ ut diluatur controuerſia, breuiter aperiendũ erit defenſori, quid ſit furtum, quid ſacrilegium. 1 Quæ quidem definitio declaranda erit exemplis, autoritatibus, ſimilibus. 2. Et adducenda eſt ſcriptorum, ac loquentium conſuetudo, apud quos in eadem ſignificatione reperiantur hæc nomina ſic Vſitata. 3. Tum applicanda eſt definitio facto, ut cõuenire uideatur. 4. Et oſtendenda utilitas, honeſtas, & neceßitas facti. 5 Locus comunis in eius impudentiam, qui non ſolum faciat, quod uelit: ſed etiam nomina rerum corrumpat. 6 Eodem modo progredietur aduerſarius.*

DE VSV STATVS IVRIDICIALIS.

IN *iuridiciali ſtatu quæritur de qualitate iuris & iniuriæ, ut ſi quæratur, iure ne, an iniuria interemptus fuerit Chriſtus. ut Interfeciſtis Chriſtum Ieſum Iſraelitæ? Interfecimus ſed iure. Status eſt. Vtrum iure interfecerint Chriſtum Iſraelitæ. Ratio. Erat namque ſeductor populi, ac blaſphœmus ſe deum eſſe aſſeuerauit, Regemq; dixit ſe Iſraeliticum ac Hieroſolimitanum. Firmamentum. At uerus fuit ille Deus, uerusq; Meßias, Deiq; ueri filius, promißus Iſraeli in lege, neque populum ſeduxit, at innumeris potius deuinxit beneficiis, bonis moribus, honeſtis uirtutum actionibus, probitate ac integritate uitæ, doctrina ſolida diuinitus a patre cœleſti profecta inſtruxit. Ex hac rationis defenſoris, & firmamenti accuſatoris conflictione naſcitur controuerſia, quæ iudicatio paßim, Ciceroni diſceptatio. Græcis* κρινόμενον *dicitur. Vtrum Criſtus ſeduxerit populũ Iſraeliticũ, & blaſphæmus in deũ extiterit.*

Quæret igitur Patronus Chriſti ex omni ipſius uita atque doctrina, nunquid merito uideatur repræhendẽdũ. Docebit uniuerſa eius documenta conſentire prorſus legi diuinæ atque humanæ, neque Moyſi aut prophetis diſſentire. Tum à religione Iudaica, ac ceremonijs legis, ab amore patriæ, a pietate ipſius & affectu erga delectum ſibi populum Iſrael, à dictorum factorumq; conſtantia & ueritate, a gratia officiorum, bonorum, amicitiarum, ab obſeruatia maiorum, ab æditis ſignis, à miraculorum quibus ſuam confirmauit doctrinam, magnitudine, à conſuetudine & more. ab utilitate, honeſtate, æquitate, neceßitate eorum, quæ docuit, demonſtrabit ſolida eius, ueraq; fuiſſe dogmata, quibus haud quaquàm ſeduxit Iſrael, ſed optimis moribus, integerrimo genere uitæ, laudabili conſcientia inſtruxit.

Poſtca quam igitur apertum erit non ſeductorem fuiße, ſed uerum ſincerumq; doctorem Populi Iſraelitici, quærendum erit poſtea, Vtrum uerus fuiße fuerit dei filius, promiſſusq; in lege Meßias. Huius rei confirmationem petet Defenſor Chriſti ex literis ſacris, è ſcripturis diuinis, ex Sibyllarum oraculis, è uaticiniis prophetarum, è ceremoniis legis, quæ rerum iſtius geſtarum, mortisq; geſſerunt typum, ab ingentibus æditis miraculis, ab integritate uitæ, à morum conſuetudine, à ueritate doctrinæ, à commentationibus Rabinorum, à teſtimonijs Ioannis Baptiſtæ, à uoce æterni patris. Ab autoritate ſpiritus cœleſtis imaginem columbæ præ ſe ferentis. Ab omnibus ſignis quæ mortem ipſius uel anteceßerunt, uel fuerunt coniuncta, uel conſecuta ſunt. Cuiuſmodi in ſtatu coniecturali recenſuimus, ut à defectu & obſcuratione ſolis, à tremore, concußioneq; terræ, à ruptione ueli, à pronunciatis Iudicis, eiusq; coniugis iuſtum eum ſæpenumero prædicantium, nec quidquam in eo reperiri cauſæ mortis, à teſtimonio Iudæ Proditoris, qui pœnitudine ductus tanti ſceleris, Peccaui. inquit, tradens ſanguinem iuſtum, ab omnium aduerſariorum conteſtatione, qui uiſis ſignis, quæ in ipſius morte euenerunt, æiulantes, tundentes pectora, miraſq; excitantes tragœdias, ab ipſius obitu reuerſi ſunt Hieroſolymam, uerumq; filium Dei deſignarunt, idq; uociferationibus, querelis, planctu ac æiulatu cuncta complentes itinera, publice proclamarunt.

Quod ſi incidat controuerſia iuris ciuilis à legibus plæbiſcitis, ſenatuſconſultis, decretis principum, magiſtratuum ædictis, reſponſis prudentum, a religione, pietate, obſeruantia, fide, conſtantia, ac uindicatione, a conſuetudine patriæ, ab inſtitutis maiorum, à more regionis, a pactis, iudicatis, ſtipulationibus, chirographis, teſtimoniis argumenta deſumet.

DE VSV STATVS ASSVMPTIVO.

HACTENVS *de uſu ſtatus abſoluti, reſtat ut & uſum aſſumptiui ſtatus aperiamus. Nam ſi quis conceſſerit factum, nec iure ſe tueri poßit, neque ex decretis pontificijs atque politicis quidquam aſſumere præſidij, reſtat, ut quoquo modo excuſet factum, quod haud data opera, nec ex induſtria fecerit, ſed uel neceßitate compulſus, uel caſu & fortuito, uel ex inſcitia & imprudentia. Sin hoc non poterit, deprecabitur ueniam, atque ut ignoſcatur, poſtulabit, dignumq; dicet, cui uenia detur, idq; oſtendet à meritis Reip. à præclaris rebus geſtis, a robore ac magnitudine animi, a ſignificatione uirtutis, iuſtitiæ, liberalitatis, magnificentiæ, grauitatis, conſtantiæ, fidei ac magnanimitatis, Aut crimen in aliam perſonam conferet, aut transferet culpam in aduerſarium, aut pietatis, religionis, pudicitiæ, ſeu patriæ nomine feciſſe ſe dicet, quantũq; ex eius morte qui interfectus eſt, emolumenti ceperit Reſp. quod ſit à tam nefarij parricidæ, atq; ſicarij tyrannide liberata, oſtendet.*

DE VSV STATVS LEGITTIMI.

Diximus ſtatum legittimum diſtrahi in ſtatum
- *De ſcripto ac ſententia*
- *Contrariarum legum.*
- *Ambiguum.*
- *Ratiocinatiuum.*
- *Definitiuum*

DE VSV STATVS SCRIPTI AC SENTENTIA.

In hoc ſtatu alter ſcripto nititur, alter uoluntate ſcriptoris.

Qui ſtabit
- *A ſcripto*
- *A ſententia*

Vtetur
- *Scriptoris collaudatione,*
- *Scripti recitatione,*
- *Sciſcitatione, an auditores id præſcierunt,*
- *Comparatione ſcripti cum facto aduerſo,*
- *Cohortatione ne quid temere ſentiant.*
- *Id quod ſedulo ſcriptum eſt, potius eſſe ſequendum, quàm quod ingenij acumine, & fucatis Rhetoricis lenociniis eſt expolitum.*
- *Contemptione ſententiæ aduerſariorum*
- *Declaratione perſpicuitatis, breuitatis, commoditatis, perfectionis ſcripti.*
- *Oſtenſione, qua doceat eſſe periculoſum ſi quis a ſcripto recedat.*
- *Exemplis rerum a ſcripto iudicatarum*
- *Locus comunis contra audaces & temerarios legum uiolatores*
- *Vtetur commendatione breuitatis, diluciditatis, facilitatis, grauitatis & autoritatis ſcriptoris.*
- *Calumniam eſſe dicet, nudam uerborum faciem intueri, negligere ſententiam.*
- *Scriptum neque iure naturæ, neque iure gentium, neque iure politico, Ethico aut Oeconomico, neque iure diuino, fieri poſſe.*
- *Scriptorem nihil aliud uoluiſſe, q̃ nos ſentimus, nosq; idcirco recte interpretatos eße.*
- *Aduerſariorũ ſententiã nullã eſſe, ineptã, ridiculã, iniquam, ac cũ ipſo autore diſsidentẽ.*
- *Exempla ſe habere rerum in ſinodis, concilijs, decretisq; pontificijs iudicatarum.*

Quando duo ſcripta, aut plura ſibi diſsidere uidentur quæret
- Num alterum ſit præceptum, alterum conſilium,
- Vtrum altera imperet, altera uetet,
- An altera compellere uideatur, quod altera minus concedat.
- Vtra prior uel poſterior
- Scriptum
  - Noſtrum
    - Recitamus
    - Interpretamur
    - Commendamus
  - Aduerſarij
    - Diluimus
    - Vertimus in noſtrum uſum
    - Videmus num naturæ, mori, ſcripturis diuinis, ueterum Theologorum ſententijs, legibusq́; ac iuri conſentiat.

DE VSV STATVS AMBIGVI.

Si ſcriptum ambiguum uideatur, & plures habere ſignificationes
- Docemus non eſſe ἀμφιβολογίαν, ſi poſſumus
- Ex antecedentibus & conſequentibus ſcripti liquido conſtare uoluntatem ſcriptoris, & apertiſsimum eſſe quid ſenſerit, aperiamus.
- Sententiam eius ex coniectura, dictis factis, ſcriptis alijs colligemus
- Vtilitas, honeſtas, neceſsitas ambas in partes ſpectatur
- Sententia aduerſarij alio in loco refelli oſtendatur.
- Secus ſcribendum fuiſſe, niſi eo modo intelligendum eſſet. ut nos accipimus.
- Ex tempore quoque, quando ſcriptum fuit, ſententiam quoque conijcimus legislatoris

VSVS STATVS, QVI VERSATVR IN DEFINITIONE SCRIPTI.

DEFINITIONIS ſcripti hic eſt uſus. ut ſi quæratur: An opera ſint neceſſaria ad iuſtificationem hominis, an ſola ſufficiat fides, & alter aiat, alter uero neget, ſtatus oritur definitionis. Vtrũ ſola iuſtificet fides, an etiam opera adiuncta ſint, oportet. Is qui in ſola fide iuſticiã poſitã eſſe ait, citet ſcripturã, Sola fides iuſtificat. Quod quidẽ argumentũ conuinceret ſi conueniret inter diſſentientes, quid nomine fidei atque iuſticiæ ſignificaret. Definit igitur fidem ſuam Lutherus, atque, hunc ſequuti Caluinus atque Melanthon, Fides eſt adſentiri uniuerſo uerbo Dei, nobis propoſito, adeoq́; & promiſsioni gratuitæ reconciliationis donatæ propter Chriſtum mediatorem, eſtq́; fiducia miſericordiæ Dei promiſſæ propter Chriſtum. Hanc definitionem pluribus oportet rationibus approbet, aliaq́; ſcripta citet, ubi in eandem ſignificationem quæratur de uocabulo fidei, ubi uis uerbi eodem modo uſurpetur. Proferet igitur teſtimonium Diui Pauli aſſeuerantis Abraham non ex operibus, ſed ex ſola fide iuſtificatum eſſe. Credidit Abraham deo, & reputatum eſt illi ad iuſticiam, Deinde iuſtus ex ſola fide uiuit. Hinc qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.

Hinc ſimilitudinibus, exemplis, rationibus idem affirmabit.

Poſtea num eadem quoque ſignificatio reperiatur in profanis ſcriptoribus. Fides certè apud Ciceronem ſignificat dictorum, conuentorumq́; conſtantiam, ac ueritatem, ut ſit fundamentum iuſticiæ politicæ. Apud Ariſtotelem firmant adſenſionem. ut diſtinguatur ab opinione & ſcientia. Hæc nihil faciunt ad noſtrum inſtitutum, niſi quatenus eſt fides certa, indubitataq́; opinio, & ἔλεγχος eorum, quæ ad Euangelij pertinent doctrinam, & religionem Chriſtianam. Quæramus igitur à Græcis, an Græcanica dictio πίστις quæ reperitur apud Paulum, eodem modo & uſitata inueniatur apud profanos autores. Plato certe de Idæa boni differens, negat homines habere [illegible] πίστιν .i. firmam adſenſionem. Aliomodo ſumitur πίστις pro fide illa ciuili, quæ in ſeruandis pactis uerſatur, in dictorum conuentorumq́; conſtantia ac ueritate, ut ait Cicero, quẽadmodũ in carmine Sophoclis [illegible]. Polibius [illegible] Aliquãdo pro fiducia, quæ fidei cognata eſt, accipitur, ut Theognides. [illegible] Apud Rhetoras & Ariſtotelem πίστεις probationes, argumenta ac teſtimonia ſignificant, quemadmodum & latini dicunt. Rei dubia facere fidem, hoc eſt confirmare, perſuadere rem dubiam, & adhibere fidem, id eſt, credere. Ex hiſce iam colligunt totam fidei ac πίστεως definitionem, ut ſit uiuax & indubitata fiducia miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum, certaq́; ac firma adſenſio, qua credimus uniuerſa pronunciata diuina, propoſita nobis ab Eccleſia Catholica.

Deinde oſtendet non in operibus, ſed in ſola fide iuſticiam poſitam eſſe. quum etiam iuſtus in opere bono peccet.

Orthodoxus uero, aut Euinglius, aut ſi qui ſunt huiuſmodi ſimiles, qui non in ſola fide, ſed etiam in operibus, iuſtificationis fiduciam collocant, etiam ſuccincte ex ſua ſententia, definient fidei ac iuſticiæ nomen. Quã deinde definitionẽ plurimis roborabunt argumentationibus, exẽplis ſimilibus autoritatibus. Deinde oſtendẽt in hac fide non eſſe poſitã uerã iuſticiã, ſed in operibus. ut Ro. 2. Non qui audiunt legem, iuſti ſunt apud deum, ſed qui legem factis exprimunt. Deinde ibidem cap. 6. Sicut exhibuiſtis membra ueſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ſic & nunc exhibete ea ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Tum. 1. Corinth. 4. Veniam breui ad uos, & agnoſcam non ſermonem iſtorum, qui inflati ſunt, ſed uirtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in uirtute. Iterum ibidem cap. 13. Si habuero omnem fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Preterea ad Galat. 5. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus. Nam in Chriſto Ieſu neque circunciſio, quidquam ualet, neque præputium, ſed fides per dilectionem operans. Deinde Patres ueteris teſtamenti iuſticiam paucis complexi ſunt uerbis. Declina à malo, & fac bonum. Definiunt hi igitur iuſticiam eſſe pietatem, ad uirtutem omnem, cuius fundamentum eſt fides, ut ait Theophilactus, quæ illuſtrior eſt in Eccleſia, obſcurior in Synagoga, quemadmodum Baſilius Dauida inquit ſignificare hoc in loco. Iuſticia uelut montes Dei. Naturæ itaque fidei atq́; iuſticiæ ſic explanata, roborataq́; tum demum aduerſariorum confutanda eſt definitio, ac quanta inde conſicerentur abſurda, aperiendũ. Tum quàm honeſtæ ſint, quam utiles, q̃ ſuaues, iucundæ, faciles, tutæ, ſecuræ, ac neceſſariæ actiones honeſtæ cum fide uirtuteq́; coniunctæ, non in politia Chriſti tantummodo, uerum etiam in negocijs ciuilibus, in adminiſtratione rei familiaris, in gerendis magiſtratibus, in rebus publicis, regnisq́; gubernandis.

Contra quàm inutilis bonorum operum negligentia, quàm turpis & fœda, quum ne Ethnici quidem ea neglexerint, quàm inamena, quàm periculoſa, quàm pernicioſa & execranda, Quæ petuntur ex locis Deliberationis.

Deinde locus comunis in eum, qui non modo quod uult, faciat, uerum alios quoque corrupendis nominibus rerum, falſoq; interpretandis ſcripturis prætextu pietatis fallat, atque ſeducat, quo ſuam celet & nequitiam & libidinem.

DE STATV TRANSLATIVO.

ADDVNT hic quidam translationem, qua quærimus num alius habeat actionem, aut petitionem, aut exequutionem, ſeu quo modo quo tempore, quo loco, quo quæſitore, quo actore agi oporteat. At hæc ad ſolos nunc pertinet iuriſconſultos, & oratores Venetos, qui nunc Italice perorant in foro, ut quondam apud Romanos Romani, apud Græcos Athenienſes. Quarè nihil in præſentia de hac dicemus amplius, maximè quum nunc ad coniuncturalem, nunc ad definitiuum, nunc ad iuridicialem referatur ſtatum. An namq; apud hunc iudicem agere oporteat, an alius patronus eligendus ſit, an hoc pacto, hoc tempore, hoc loco, hac actione quæri conueniat, uel coniecturis, uel definitione, uel iuris & iniuriæ explicatione docetur.

DE LOCIS GENERIS DIDASCALICI.

LOCI Generis Didaſcalici ſunt Topica Dialectices. quæ primo libro enumerauimus. Vſum autem horum locorum comparabimus facile, ſi quando dicturi ſumus de aliqua re, animum circunferamus per omnes illius generis locos, ut quid ad propoſitæ rei faciendam fidem pertineat, perſpiciamus. Accipiamus exempli gratia deſcribendam uirtutem, eamq; per omnes locos deducamus.

Primum dicimus ex generis loco uirtutem eſſe habitum animi.

Differentiam eius eſſe, quod ſit rectæ rationi conſentanea

Propria, honeſtum, utile, delectabile, expetendum, laudabile per ſe.

Hinc definitionem eius conſtituimus, dicimusq; eſſe habitum animi rectæ rationi conſentaneum.

Ex totius loco nihil colligi poterit forſitan, quod de uirtute dici queat, quum ipſa per ſe totum ſit.

Species habet prudentiam, iuſticiam, fortitudinem, temperantiam.

Partes habet eaſdem, quas hæ 4. ceu præcipui fontes in ſuo ambitu complectuntur ut Prudentiæ partes, ſunt Memoria, Docilitas, Ratio, Intellectus, Solertia, prouidentia, circunſpectio, conſultatio, ſententia, εὐβουλία, Fortitudinis, fiducia, magnanimitas, ſecuritas, magnificentia, patientia, tolerantia, perſeuerantia, conſtantia, uirtus heroica Iuſticiæ, innocentia, amicitia, concordia, humanitas, pietas, æquitas, gratitudo, religio, obſeruantia, ueritas, fides, quæ in ſeruandis pactis uerſatur, beneficentia, benignitas, liberalitas, uindicatio. Temperantiæ uerecundiæ & honeſtatis, qua in moderandas cupiditates ferimur, amor.

Diuiſio. Virtutũ alia in perſpicientia ueri uerſatur, ut intellectus ſcientia, ſapientia, ars atque prudentia. Alia in moribus hominum & actionibus cernitur, ut frugalitas, ſobrietas, caſtimonia, pudicitia, continentia, Animi ſubmiſsio, manſuetudo, clementia, modeſtia, moderatio, decor, ſeueritas, parſimonia, æquitas, iuſtitia, magnanimitas, magnificentia, religio pietas, obſeruantia, ueritas, conſtantia, fides, integritas.

Coniugata ſunt, ſtudioſus, uirtute præditus, probus, honeſtus, Tametſi namque uoce diſcrepent, conueniunt tamen ſignificatione, ut. [illegible] & σπουδαῖος, apud Græcos. ut Virtus ſtudioſum efficit hominem. Virtus agit honeſta, Virtus probos edocet mores.

Caſus ſunt ſtudioſe, honeſte, probè. Virtus honeſte inſtituit uitam. Probe omnia agit ac ſtudioſe.

Antecedentia ſunt Gratia diuina. Animi præparatio ad conſequendas uirtutes, exercitatio officiorum crebra, frequens honeſtarũ actionum iteratio, imploratio fidei diuinæ, cœleſtis ſpiritus inuocatio, fiducia miſericordiæ promiſſa, propter Chriſtum, [illegible] non ficta, confeſsio ſincera & integra, ſatisfactio ſolida, iuſta, non iniqua, remiſsio peccatorum, qua primum iuſtificamur, deoq; grati & accepti reddimur, gratia ſpiritus diuini diuinitus nobis tributa citra ulla noſtra merita, uoluntaria actiones ex habitu uirtutis profectæ.

Coniuncta ſunt donum perſeuerantiæ, Gratia illa diuina, quam Theologi gratiam cooperantem appellant. Diſcernunt namque gratiam cooperantem à gratiâ gratis data, & gratia gratum faciente. Item laus, honor, decor gloria, probitas, fauor, amor, pulchritudo, beneuolentia bonorum, admiratio omnium, fœlicitas, honeſta, beataq; uita, conſultatio, Electio, & ſimilia.

Conſequentia ſunt, quæ interdum etiam coniuncta ſunt uirtutibus. Opes, diuitie, honores, dignitates, fauor, beneuolentia, fama præclara, immortale nomen, gloria æterna, perpetua beatitudo.

Adiacentia ſunt, ut quod eius laus in actione poſita ſit, quod non niſi ex uoluntarijs proficiſcatur actionibus, quod uerſetur in moderandis cupiditatibus, quod in affectibus coercendis, refrenandisq; cernatur, quod ſit ſita in mediocritate, undiq; extremis contrarijs cincta, quorum alterum per defectionem, alterum per exuperantiam illi obijcitur ut contrarium.

Subiectum eſt animus hominis, uoluntas, ratio, & intellectus. Quæ namque ueritatem obiectum habent, quæ uerſantur in perſpicientia rerum, in intellectu ſunt, in mente, inquam, ac ratione. Quæ uero in actione ſunt poſitæ, uoluntati tribuuntur.

Actus, uiuere honeſte, probè, iuſtè, caſtè, integrè, ſobriè, piè, continenter, honorificè, magnificè, ſplendidè, moderatè, atque ex præſcripto iudicij rectæ rationis. Præterea agere conſtanter, prudenter, fortiter, ſapienter, gerere res præclaras, magnanimum eſſe, liberalem, magnificum, comem, affabilem, fidum, conſtantem, circunſpectum, patientem. Prudentem, humanum, ciuilem, benignũ, amabilem.

De loco nihil eſt, quod in præſentia dicam, quum adiacentia propriè non ſint in loco, niſi gratia ſubiecti, in quo reperiuntur, eaq; non omnia, ſed ea ſola, quæ in corpore cernuntur.

Tempus, quod ſit in hominibus maturæ et adultæ ætatis præditis uſu rationis, Neque enim infantibus actiones uirtutum, ac proinde nec habitus, qui ex actionibus crebro iteratis gignuntur, tribuendi ſunt. Niſi de facultatibus diuinitus nobis collatis loqui cum Theologis malis, quàm cum Philoſophis de habitibus labore noſtro atque induſtria partis.

Plerumque euenientia ſunt, quæ Boetius Themiſtium ſequutus communiter accidentia appellat. Virtus reddit ſuum poſſeſſorem bonum. Virtuti omnia parent. Virtus fugat ignominiam, uituperium, dedecus, calamitatem, miſeriam, egeſtatem, inopiam, parit autem gloriam, laudem, decus, opes, amicitias, honores, famam honeſtam, bonam exiſtimationem, nomen immortale, fauorem ac beneuolentiam bonorum.

Pronunciata ut quid Pythagorici, quid Socratici, quid Platonici, quid Ariſtotelici, quid Stoici, quid Academici, quid Peripatetici,

quid

quid Epicuræi,quid Philoſophi deniq; omnes atq; Theologi de uirtutibus ſenſerint.

Materia circa quam uerſatur,eſſe rem omnem,ut actione honeſta exprimi poteſt.Vt enim fidei materia eſt Deus , qui eſt prima ueritas,una cum articulis fidei,pronunciatisq; diuinis,atque omnibus Propheticis, Euangelicis,& Apoſtolicis ſcriptis , aut ſi quæ ſunt alia huiuſmodi,quæ mortalibus ſunt reuelata diuinitus,ut Spei materia eſt præſidium opis potentiæq; diuinæ, perducentis nos ad cœleſtem Hieruſalem,uel ipſa quoque æterna fœlicitas , quam conſequimur ad perpetuò benè beateq; uiuendum per huiuſmodi ſpem atque fiduciam,uel quicquid tandem aliquid adminiculi adfert ad hanc ſummam parandam beatitudinem. Vt charitatis materia eſt diuina bonitas,ac quicquid tandem propter eam diligitur,quod quidem rationis compos ſit,ac particeps beatitudinis. Sic materia reliquarum uirtutum eſt,quicquid poteſt agi.Prudentiæ quidem ſub ratione conſultationis,ut agibilia cadunt ſub deliberationem ac diſceptationē. Aliarum uero uirtutum ſub ratione actionis.Temperantia namque uerſatur in cohibendis immoderatis cupiditatibus ex præſcripto legis,naturæ atque diuini iuris,hoc eſt,cernitur in moderandis delectationibus tactus,guſtus,aliorumq; ſenſuum affectionibus coercēdis. Fortitudo ſpectatur in aggrediendis arduis,periculoſisq; rebus,mortem,infamiam,ignominiam intendentibus. Eſt enim media inter timores & audaciam. Aequitas iuſtitiæ poſita eſt in tribuendo ſuum cuiq;,ac rerum contractarum fide. Quæ quidē omnes actiones ſunt, atque ex hiſce tribus uirtutum fontibus ortæ.

Materia in qua uirtus eſt,eſt aut uoluntas hominis,aut intellectus(ut ante diximus)Prudentiæ quidem intellectus. Voluntas uero reliquarum uirtutum.Perficit namque uoluntatem iuſticia.Appetitum moderatur tēperantia,robur animi ac magnitudo in appetitu iraſcibili perſpicitur,in concupiſcibili uero pariter ac iraſcibili temperantia.

Forma,ut uirtus omnis honeſta eſt,utilis, expetenda, rectæ rationi conſentanea,delectabilis,laudabilis per ſe. Quia namque uerarū formarum magna laboramus penuria,idcirco in locum earum ſubijcimus propria,quæ proximè è ueris formis differentijsq; dimanant.

Efficiens uirtutis eſt ex ſententia Philoſophorum actio parans animos ad nanciſcendos uirtutū habitus. Iuxta Theologos uero Deus per gratiam cœleſtis, ſpiritus,mentes noſtras illuſtrans,ac lucem nouam in nobis efficiens,ad honeſtiſſima queq; atque rectiſſima agenda nos incitans, impellens & adiuuans,Cauſam namque efficientem fidei conſtituunt Deum,impellentem animos audientium ad auſcultandum & aſſentiendum.Eccleſiaſtarum ad concionanda eiuſmodi , cuiuſmodi ſunt in Propheticis , Euangelicis & Apoſtolicis literis. Efficientem uero ſpei ſtatuunt ſolam gratiam cœleſtem,pectora mortalium fiducia cœleſtium rerum diuinitus imbuentem , ut quæ ſola ſpem ueram efficiat , & fiduciam ſolidam in mentibus hominum creet,qua certo obfirmatoq; animo,expectamus futuram beatitudinē, promiſſam nobis à patre eterno per Chriſtum.Efficientem uero charitatis præcipuam Deum collocant,qui ſolus quidem perficit ipſam per cœleſtem ſpiritum,diſponunt tamen ac præparant ad ritè legittimeq; exequenda opera actiones humanæ proficiſcentes ex animo puro,conſcientia bona, & fide non ficta.

Finis uirtutis eſt bene beateq; uiuere ex ſententia Stoicorum, ſecundum Ariſtotelem fœliciter agere,Iuxta Epicuræos degere in delitijs.Ex Theologorum iudicio, ſeruire ac placere Deo.Cuncti quidem in hoc conuenerunt,quod finem uirtutis ſummum bonum ſtatuerint,At in exprimenda ſummi boni natura mirum ꝗ uariarint & inter ſe diſſenſerint. Alij ſummum illud bonum honores dixerūt eſſe, ut in primo Ethicorum refert Ariſtoteles.Alij ſanitatem,alij pulchritudinem & formam.Alij opes atque diuitias, Epicurus uoluptatē, Peripatetici honeſtam actionem uirtutis cum bonis ſimul externis coniunctam.Stoici in ſola uirtute,etiamſi in ſummis uerſaretur miſerijs,atque idcirco unà cum Academicis & Peripateticis per ſe expetendam uirtutem uolunt,ut ſi quis quæreret.Quare iuſticia eſt amplexanda? Propter ipſam,inquiunt,iuſticiam.Quare magnificentiam, ſplendorem,magnanimitatem,liberalitatem,conſtantiam quærimus? Propter ipſum harum uirtutum decorem,ac pulchritudinem.Epicurus interrogatus,cur temperantia eſſet expetenda. Quia ex tēperantia,inquit,multæ,proficiſcuntur uoluptates,ut ſanitas corporis,membrorum agilitas,alacritas,gaudium & ſimilia.

Effecta uirtutum ſunt earum actus,ut temperantiæ,moderari cupiditates,Fortitudinis exponere ſe periculis,Iuſtitiæ,repudiare ſordida,amplecti quæ recta ſunt & honeſta,Prudentiæ,conſultare,iudicare,præcipere. Aequitatis,tribuere ſuum cuiq;, Magnanimitatis, non inſoleſcere rebus ſecundis neque deijci aduerſis.

Deſtinata ſunt media omnia,quæ referuntur ad finem,ut Actiones honeſtæ,quæ parandis inſtituuntur uirtutibus.

Contrarium uirtutis eſt uicium. Hic animaduertas neceſſe eſt,quæ quibus obijciantur uirtutibus uicia , ſiue iuxta exceſſum opponantur, ſiue defectionem.

Relata uirtutis quæ ſint, facile coniectare poteris,modo libeat fingere & excogitare uocabula,licet barbara & inuſitata ex facultate ab Ariſtotele in Categorijs conceſſa,ut uirtus eſt uirtuoſi uirtus,quemadmodum uicium eſt uicioſi uicium.

Priuantia uirtutum ſunt,ut uolunt Theologi noſtri,quæ Philoſophi contraria uirtutibus dixere.

Contradicentia ſunt,in ſimplicibus uocibus. Virtus,non uirtus.In pronunciatis uero nulla uirtus eſt aſpernanda. Ergo falſum eſt aliquam uirtutem eſſe aſpernandam.

Comparata uirtutis ſunt
- A maiori quidem,ut Scientiæ & artes ſunt expetenda , Ergo multo magis uirtutes, Liberalitas eſt uirtus, Ergo multo potiori iure magnificentia eſt uirtus.
- A minori Artes non ſunt contemnendæ,Ergo multo minus uirtutes.
- A pari. Virtutes Theologicæ in deum referuntur, ut in finem,Ergo pari ratione & uirtutes morales iure optimo huc ſunt referendæ.

Similium ac diſſimilium immenſam quis aceruare copiam poterit,modo legeris politiores elegantiorum rerum autores,& græcorū ſcriptorum,ueterumq; Theologorum uolumina euolueris,qui de uirtutibus ac uicijs diſſerunt.Cuiuſmodi eſt Plato,Iſocrates,Xenophō, Theophraſtus,Homerus,Pyndarus,Heſiodus,Cicero,Iuuenalis,Horatius,Perſius, Seneca, Vergilius,Chriſoſtomus, Baſilius,Nazanzenus,Theophilactus,Cyprianus,Ambroſius,Hieronymus,Aurelius,Gregorius,Lactantius,Firmianus,alijq; permulti ſimiles.

Quando ſic igitur Thema propoſitum per omnes duxiſti locos,uiciſſim per eoſdem animum tuum circunferes, & quæ propoſito cōueniant,quæ abhorreant,uidebis Leuiora,aut quæ parum ad rem faciunt,repudias,deligas uero grauiora & accommodatiora facienda fidei.Neque enim omnia quæ rei conueniunt,aut dicenda ſunt,aut dici poſſunt.

PROPEDEVMATON ORATORIORVM
FRANCISCI TRACHELAEI STATII.

PROPEDEVMATON ORATORIORVM FRANCISCI TRACHELAEI STATII LIBER QVARTVS.

PRAEFATIVNCVLA AD ARCHIDVCEM AVSTRIAE CAROLVM.

QVANDOQVIDEM *Initio polliciti ſumus,nos non uulgari modo ſcripturos Sereniſsime Dux,de arte oratoria,ut ſolis accommodetur cauſis forenſibus, ſed in uniuerſum acturos,prout tribuatur ſcriptoribus omnibus,adeoq; iis etiam,qui copioſe de re aliqua ſermone tractant, quo tandem id fieri modo poteſt. Idcirco hic acturi, de elocutione,non de ſolis* Rhetoricis,*agemus figuris, ſed etiam de poëticis & grammaticis.*

Elocutio autem tribus uirtutibus conſtat,latinitate,perſpicuitate,& elegantia,totidem uicia ſunt hiſce uirtutibus contraria. Barbarum,obſcurum,inelegans.

Barbari ſpecies ſunt tres
- *Barbariſmus, qui error eſt in orthographia, proſodia, Aetymologia.Et fit.*
  - *Scribendo, quod* { *Additione, Detractione, Immutatione, Tranſmutatione* } *Literæ uel ſyllabæ continetur.*
  - *Loquendo quod* { *Diuiſione, Complexione, Aſpiratione* } *Continetur.* / *Sono*
- Βάρβαρα λέξις *quæ uerſatur in uerbis.* { *Nouis, Nouatis, Peregrinis, Inuſitatis, Priſcis* }
- *Soloeciſmus,qui error eſt in conſtructione.*

Obſcuri ſpecies ſunt. 5.
- Ἀκυρολογία, *& improprietas,ut Tantum ſperare dolorem prò timere.*
- Ἀμφιβολία, *Ambiguitas ſermonis & æquiuocatio uerbi,ut Dico te Aeacida Romanos uincere poſſe.*
- Ὑπέρβατον, *i. perplexa & perturbata conſtructio, uel iuſto longior. Cuiuſmodi plerunque fit ab imperitis periodorum affectatoribus.*
- *Eclipſis,quando neceſſaria dictio ſententiæ deeſt, ita ut perfectum ſenſum non referat. Hæc ſecum ſe loquebatur.*
- Βραχυλογία, *quum de re graui nimis anguſte & breuiter loquimur.*

Πλεονασμὸς *adductio uerbi ſuperuacui ad plenam ſignificationem,ut ſic ore locuta eſt.*
- Ταυτολογία *i.nugatio, ſiue inutilis eiuſdem uerbi iteratio.*
- Περισσολογία *i.uerborum adiectio ſuperuacua ſine ui rerum.*
- Περιεργία, *quando in re tenui multum uerborum,& ſuperuacua opera conſumimus ac nimium immoramur.*

Inornati ſpecies ſunt.
- Μακρολογία, *quando nimia orationis prolixitas defatigat audientem.*
- Ταπείνωσις, *quando uocabulum ſordidum & abiectum,aut ſententiam uilem rei graui & honeſtæ tribuimus.*
- Μείωσις *ubi de re magna & ardua eſt iuſto tenuior oratio.*
- Βομφιολογία *uitium* Μειώσει *contrarium,quando res tenues augentur nimium.*
- Ἀσιατισμὸς, *hoc eſt, Aſianum dicendi genus,quod immodicè redundat uerbis & expolitionibus, ſed uerbis inane eſt.*
- Αἰσχρολογία, *quæ poſita eſt in obſcœnitate uerborum.*
- Κακέμφατον *uel* κακοφωνία εὐφωνίᾳ *cõtraria figura,quãdo ita cohærẽt,ut ineptũ,auribusq; abhorrentẽ præferãt ſonũ.*
- Κακοζηλία, *inepta & deprauata affectatio.*
- Ἀσχήματον, *quãdo nulla eſt elegãtia aut nitore cõdita oratio,uel quando haud ſatis apte nõ ſeruato decore cõdita eſt.*

Inornati ſpecies ſunt.
- Ὁμοιολογία, *quando eſt ubiq; ſui ſimilis oratio citra uarietatem aut ſuauitatem.*
- Ποικιλογία, *ubi nihil eſt in oratione rectum,aut proprium, ſed omnia præter modum perpolita omnia & exornata.*
- Σαρδισμὸς, *commiſtio inepta ſermonis è uariis linguis,& idiomatibus confuſa.*
- Ἄρρυθμον *oratio plane expers numeris,nullaq; elaborata compoſitione.*
- Κακοσύνθετον, *incompoſitum, ſeu perperam collocatum,& eſt compoſitio uicioſa.*
- Ἀσυνθετόμενον, *male compoſitum,ordinatum & indiſtinctum.*

Exornationes diuiduntur in
- *Tropos &*
- *Figuras*

Eſt autem Tropus aut uerbi aut orationis in aliam ſignificationem à propria deductione translatio.

Tropus duplex eſt
- *Dictionis quando uerbum aliquod à propria deducitur in impropriam ſignificationem.*
- *Orationis,quando non uerbum ſed ſermo integer aliud orationis facie,aliud ſenſu præfefert.*

Tropi dictionis ſunt.
- Metaphora.
- Metonomia.
- Catachreſis.
- Synecdoche.
- Metalepſis.
- Onomatopæia.
- Periphraſis.
- Antonomaſia.

Metaphora eſt uerbi uel nominis proprij ad impropriam ſignificationem translatio. Tribus autem de cauſis inſtituta eſt hæc metaphora, Ob neceſſitatem, delectationem, atque decentiam. Ob neceſsitatem quidem, ut quando proprium deeſt uocabulum. Atque ſic ridere agros, luxuriare ſegetes, ſitire agros, gemmare uites, hominem durum & aſperum dicimus. Ob delectationem, ut quando aut ſignificantius eſt uerbum, quemadmodum pro eruditus dicitur incredibili eruditione præditus. Aut ornatius, elegantius, & ſplendidius, ut bellorũ tempeſtates, lex liberalitatis, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, eloquentiæ fons. Aut breuius & ſuccinctius, ut Bellum exarſit.i. ſubito geri cœptum eſt. Aut honeſtius atque decentius. Hoc faciunt, nimio ne luxu obtuſior uſus. Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

Metonomia, ſic enim dicitur à Grammaticis. A Rhetoribus ὑπαλλαγὴ uocatur, Cicero tranſtulit in Partitionibus immutationem. Ad Herennium, denominationem, alibi traductionem uocat. Eſt aut Μετωνυμία figura, qua proprium uerbum proprio commutamus. Differt itaque à translatione, quod Μετωνυμία uerbum proprium proprio, Translatio uero proprium alieno commutat. His igitur modis commutamus. Primo quidem inuentorem pro re inuenta, aut præſidem & eum qui præeſt, pro re ſubiecta ponimus. ut, ſine Cerere & Baccho friget Venus. Ceres pro frumento, Bacchus pro uino, Neptunus pro mari, Mars pro bello. Secundo quum continens pro re quæ continetur. Locus pro locato ponitur, Aphricam pro Aphris, morata urbs ſæculum fœlix. Contra Locatum pro loco, uel id quod continetur pro re continente, ſed hoc fit durius. Terent. Eamus ad nos.i. domum noſtram. Cenatus ſum apud Heraclitum.i. in ædibus Heracliti. Tertio, quando ſignum accipitur pro re quæ ſignificatur, ut Toga pro pace. Quarto, quando cauſam pro effectu & contra effectum pro cauſa collocamus, ut Hic melior remis.i. uelocitate quæ fit per remos. Frigus pigrum, quia pigros efficit. Verum hoc poëticum eſt. Quinto ubi ducem pro ſubditis conſtituimus, ut Germania à Carolo Quinto ſubacta eſt. Græcia ad Alexandro, Gallia à Caio Cæſare. Sexto quum autorem pro opere uſurpamus, ut Semper in manibus habendus eſt Cicero. Septimo quum pro perſona rem ſtatuimus, quæ perſonæ conuenit, ut ſcelus pro ſcelerato, Sacrilegium eſt depræhenſum. Vindicatum eſt adulterium, pro ſacrilego & adultero.

Catachreſis eſt, quando proprium rei uocabulum transferimus ad id, cui minus competit. Habet autem eundem uſum cum metaphora ſed non tantum complectitur ornatum. Exemplum. At ſperate deos memores fandi atque nefandi, ſperate pro timete.

Onomatopœia eſt fictio nominis collecta ex ſono, quum in fringendo uocabulo rei naturam imitamur, At tuba terribili ſonitu Taratantara dixit. Talia ferè ſunt ſibilus, murmur, bombarda & ſimilia. Sic balare oues dicuntur, rugire leones, ululare lupi, mugire boues, rudere aſini. Sic clangor dicitur ſonus tubæ, Tinnitus æris.

Periphraſis eſt circuitio uerborum, quando quid breuius dici poteſt, tamen uerborum ambitu circumloquimur, ut ſunt Etymologiæ, Notationes, finitiones, deſcriptiones. Quod ſi orationi uicium adferat Περισσολογία dicitur.

Antonomaſia, quum commune nomen uſurpatur pro proprio, ut pro Ariſtotele philoſophus, pro Homero aut Vergilio poëta, pro Paulo Apoſtolus, orator pro Cicerone ſumitur. Huc referuntur & Epitheta cognomina & agnomina.

DE TROPIS ORATIONIS.

Synecdoche

Tropi orationis ſunt.
- Allegoria cuius ſpecies ſunt.
- Paræmia.
- Ironia.
- Sarcaſmus.
- Aſtiſmus.
- Micteriſmus.
- Antiphraſis.
- Charientiſmus.
- Aenigma.

Prima ſpecies eſt Allegoria, quæ nihil eſt aliud q̃ perpetua quædam metaphora ut conferre pedem, deſcendere in arenam, pro argumentis decertare. Sic flamma fumo eſt proxima. Vinum uendibile non eget ſuſpenſa hedera. Aliud enim ſenſu ſignificamus, aliud exprimimus uerbis.

Parœmiam Latinorum alij adagium, alij prouerbium uocant, ut Lupus eſt in fabula.

Ironia eſt illuſio & inſultatio ut Egregiam uero laudem & ſpolia ampla refers, Huc referuntur facetiæ, ſales, dicteria, ſcommata, dicacitates & ſimilia, ut Sarcaſmus, Aſtiſmus, Micteriſmus, Antiphraſis, Charientiſmus. Eſt enim Sarcaſmus irriſio amara, inſultatioq́; hoſtilis, Aſtiſmus ciuilis atque faceta, Micteriſmus ſimulata, non tamen latens, Antiphraſis unius uerbi ironia. Charientiſmus, quum duriora reipſa gratioribus uerbis molliuntur, ut Bona uerba quæſo.

Aenigma eſt obſcura Allegoria, Allegoria autem eſt, ut diximus, perpetua quædam translatio. Hoc namq; intereſt inter allegoriã & translationem, quod hic ſimplicibus, illa coniunctis conueniat. Hoc pacto Symbola Pythagorica Aenigmata ſunt. Item & quædam Adagia, ut ſimiles habent labra lactucas. Item ſententiæ obſcuræ atque parabolæ, ut bos laſſus fortius figit pedem. Proprie tamen Aenigmata dicuntur, quum res minimè inter ſe conueniunt. ut, Dic mihi parue puer, & eris mihi magnus Apollo, Tres pateat cœlum ſpacio non amplius ulnas. Hi itaque intelligunt per ænigmata, quæ minus ſunt perſpicua, ut Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Synecdoche pertinet ad tropos dictionis, quia tamen per obliuionem reliquimus, ſatius eſt tempeſtiuius collocare, q̃ omittere prorſus. Eſt autem Synecdoche, quando pars pro toto. ut Romanus prælio uictor. Totum pro parte ut Olepidum caput, pro. Olepidum hominem, Materia pro re confecta, ut ferrum pro gladio, Aut pro præcedentibus conſequentia accipiuntur, ut, uirgineam ſoluit zonam, pro corrupit.

Figuræ diuiduntur in
- Poëticas.
- Grammaticas &
- Oratorias

Poëticæ figuræ duæ ſunt
- Metaplaſmus &
- Hyperbaton.

Metaplaſm. 14. ſunt
- Protheſis quum in fronte uerbi litera ſyllabáue adiungitur, ut gnatus pro natus.
- Epentheſis, quum in medio, ut relligio pro religio.
- Paragoge, quum in fine, ut dicier pro dici.
- Aphæreſis, quum initio dictionis aliquid adimitur, ut temnere pro contemnere.
- Syncope, quum medio, ut dominum pro dominorum.
- Apocope, quando fini, ut peculi pro peculij.
- Ectaſis, productio ſyllabæ natura breuis. Exercet Diana choros.
- Syſtole, abbreuiatio ſyllabæ natura longæ. Obſtupui, ſteterumq; comæ.
- Diæreſis, diuiſio unius ſyllabæ in duas, ut Aulai pro aulæ.
- Synæreſis, coagmentatio duarum in unam, ut Phæton pro Phaëton.
- Synalæpha, ademptio uocalis propter aliam ſequentem, ut Cartag' Italiam contra. pro Cartago.
- Echthlipſis, eliſio uocalium cum conſonantibus dure coniunctorum, ut Mult' ille & terris pro multum ille.
- Ἀντίστιχον literæ pro litera ſubſtitutio, ut Olli ſubridens pro illi.
- Metatheſis literarum contrapoſitio, ut Timbre pro Timber.

Hyperbaton eſt, quando ordo legittimus dictionum, aut clauſularum turbatur.

Eius ſpecies ſunt
- Anaſtrophe, quæ eſt præpoſtera dictionum collocatio nullo intericcto extrinſecus uerbo, ut Trāſtra per & remos.
- Diacope ſeu Tmeſis, quæ diſſectio eſt dictionis, inſerto extrinſecus uerbo, ut Septem ſubiecta trioni, quum iungi debeat ſeptem trioni.
- Dialyſis ſiue Parentheſis, dum continuationi ſermonis nudius aliquis intertexitur ſenſus. Cice. Ego enim quum te (mecum enim ſæpiſſime loquitur) patriæ reddidiſſem.
- Syntheſis, quæ perplexa, & perturbata conſtat conſtructione. ut uina bonus, quæ deinde Cadis onerarat Aceſtes, Littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus heros, Diuidit. Quum ſit ordo Deinde Heros diuidit uina, quæ bonus Aceſtes onerarat cadis, & de Trinacrio littore dederat.
- Hyſterologia, quum id quod primum eſſe debet, ſecundo ponitur loco. Terent. Valet & uiuit.

DE FIGVRIS GRAMMATICIS.

FIGVRAE Grammaticæ appellantur ab alijs Figuræ Conſtructionis, & ſunt, quando à permulgato Canone recedit cōſuetudo.

Sunt autem figuræ conſtructionis 9.
- Prolepſis.
- Syllepſis.
- Zeugma.
- Syntheſis.
- Synecdoche.
- Antiptoſis.
- Enallage.
- Appoſitio.
- Euocatio.

Prolepſis eſt, quum ante numerus uerbo redditur, q̃ perſonæ exprimantur, ut compulerantq; gregem Corydon & Thyrſis in unum, Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte caprinas.

Syllepſis, quam conceptionem uocant, eſt cum aut pluribus nominatiuis unum uerbum, aut ſubſtantiuis pluribus adiectiuum unum ſic additur, ut conueniat cum præſtantiore, non cum propiore.

Eſt autem, quadruplex Conceptio.
- Generum, ut Mulciberis capti Marsq; Venusq; dolis. Nam genus maſculinum fœminino, fœmininum neutro præſtantius eſt.
- Perſonarum, Ego & tu pariter ambulauimus. Nam Prima ſecunda, ſecunda tertia perſona præſtantior eſt.
- Numerorum, ut quum duobus aut pluribus nominatiuis diuerſorum numerorum ſubditur uerbum plurale. ut Quum terra Nabis Lacedæmonijq; mari Romana claſsis urgebat.
- Caſuum, quum uerbum nominandi & auferendi caſui additum cum antecedente præpoſitione cū pluraliter enunciatur, ut Remo cum fratre Quirinus iura dabant.

Zeugma eſt quum pluribus ſubſtantiuis unum adiungitur adiectiuum, propiori reſpondens, uel quum nominatiuis pluribus unum tribuitur uerbum cum propiore conueniens, ut Semper honos, nomen tuum, laudesq; manebunt. Idem hic illius arma, hic currus fuit. Sic Aeneas urbe, & focijs, & claſſe relicta.

Triplex eſt autem zeugma.
- Πρόζευγμα, quando uerbum uel adiectiuum collocatur initio, ut ſunt nobis mitia poma, Caſtaneæ molles & preſſi copia lactis.
- Μεσόζευγμα quando ponitur in medio. ut Huc ades ò Melibæe, Caper tibi ſaluus & hœdi.
- Ὑπόζευγμα quando in fine conſtituitur, ut Ego illum de ſuo regno. Ille me de noſtra Rep. percontatus eſt.

Syntheſis eſt quum nomini collectiuo ſingulari uerbum reſpondet, aut adiectiuum plurale, ut Pars epulis onerant menſas, & Pars in fruſtra ſecant. Sall. Maxima pars uulnerati, aut occiſi.

Synecdoche, quum uerbo uel adiectiuo ſubiungitur accuſatiuus partis, ut micat auribus.

Accuſatiuum per Synecdochen habent.
- Adiectiua, ut Nuda genu
- Verba neutra, ut dolet pedes.
- Paſſiua, ut, Explert mentem nequit.
- Nomina, ut cætera Gratus.

Antiptoſis eſt quum caſus pro caſu ſtatuitur. Sic aliquando nominatiuus pro uocatiuo, ut ſanguis meus, datiuus pro ablatiuo, ut Noli pugnare duobus, pro cum duobus. Non eſt mihi uiſus, pro a me, Accuſatiuus pro nominatiuo, ut, Vrbem quam ſtatuo ueſtra eſt, Genitiuus pro nominatiuo, ut Eius rei mihi uenit in mentem, pro ea res.

Euocatio, ut Non omnia poſſumus omnes.

Appoſitio eſt, quando duo ſubſtantiua eandem rem ſignificantia in eodem ponuntur caſu, ut Lupum piſcem non uidit Italia.

DE FIGVRIS RHETORICIS.

Figura eſt arte aliqua nouata dicendi forma.

Figurarum duæ ſunt.
- Verborum.
- Sententiarum.

Figuræ autem uerborum ſunt.

Anaphora.	Homoioptoton.
Antiſtrophe.	Homoiteleuton.
Epanalepſis.	Polyoptoton.
Anadiploſis.	Hypallage.
Cloſis.	Paronomaſia.
Traductio.	Antanaclaſis.
Conduplicatio.	Eclipſis.
Expolitio.	Epanodos.
Epanalepſis	Ploce.
Epimene uel Epizeuxis	Symploce.
Copulatio.	
Aſyntheton.	
Polyſyntheton.	

Anaphora eſt, quum repetitur idem uerbum initio, Latine dicitur repetitio, ut Scipio Numantiam ſuſtulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem ſeruauit.

Antiſtrophe, Latine conuerſio quum in fine orationis idem repetitur uerbum. Alij ἀντιστροφὴν uocant, Italiam Annibal armis uicit, ingenio uicit, dolis uicit.

Epanalipſis, ſiue Complexio quam alij συμπλοκὴν uocant, per quam idē uerbum tum in principio tum in fine repetitur. Qui ſunt, qui fœdera ſæpe ruperunt? Anabaptiſtæ. Qui ſunt, qui Remp. Chriſtianam deformauerunt? Anabaptiſtæ. Qui ſunt, qui malos extollunt, bonos inceſſant conuicijs? Anabaptiſtæ Qui ſunt, qui mendacijs, periurijs, furtis atq; rapinis omnia ſimulant atq; diſſimulant? Anabaptiſtæ, Qui ſunt qui ſtupra, adulteria, inceſtus, ſacrilegia, agunt? Anabaptiſtæ. Qui ſunt, qui prætextu religionis ſolum Ieſum ſectari volunt? Anabaptiſtæ.

Anadiploſis ſiue Epanadiploſis, eſt finis alterius ſententiæ initio ſequentis iteratio; ut Sequitur pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens. Hic tamen uiuit, uiuit? imo etiam in ſenatum uenit.

Conduplicatio eſt, quando exaggerandæ rei cauſa, indignationis, inquam, aut commiſerationis mouendæ gratia, unum aut alterum uerbum iteramus. Theologiam profeſſus eſt Ioannes aleyden? Ioannes aleyden inquam theologiam profeſſus eſt?

Expolitio ſeu interpretatio ſynonymiæ eſt, in qua eadem iteratur ſententia, uerbis paululum immutatis, ut Quantam Polybius ubiq; inſolentiam præfert? Quam perpetuo contrahit ſupercilium? Quanta cum oſtentatione uenditioneq; nugas ſuas Sophiſticas inculcat? ut totus ore, uultu, oculis inſolens excandeſcit, fremit & contabeſcit? Vt truculentum, militarem, atrocem atq; nefarium more ſicariorum atq; latronum perpetuo aſpectum, cum ſit Anabaptiſta perditiſſima bellua præ ſe gerit?

Traductio eſt quum idem uerbum frequentius iteratum non modo, nullū parit faſtidium, uerum elegantiorem quoq; ſermonem efficit. Polympium ac Ariſtophanem tu homines dicis? Qui ſi eſſent homines, non ita ſeſe dæmonibus obligaſſent, non ita magicis artibus ac diabolicis ſe implicaſſent, ut in inſectandis humanitatis ſtudioſis tam nefarie ſuas exercerent libidines, ut tam inauditis uicijs, execrandiſq; uerſarentur flagitijs.

Epanalepſis Epizeuxis ſeu Ἐπιμονὴ eſt repetitio eiuſdem uerbi ſine medio. Vos, uos dico perditiſſimi ſecarij, Vos, inquam, Vos appello ſceleratiſſimi Sodomitæ,

Copulatio, ubi eadem dictio bis continuò iterata aliud atq; aliud ſignificat. Epicurus ſemper eſt Epicurus, Polybius adhuc manet Polybius. Huc pertinet ἀντίστασις quum eadem dictio iteratur diuerſa tamen ſententia. Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutem.

Polyſyntheton, quando oratio multis utitur coniunctionibus, ut Gnoſticos atq; Epicuræos cum perditiſſimo illo potatore, quem ſibi cunctorum ſcelerum conſcium habent atq; participem, cuius uultus præ frequenti temulentia igne uehementius, excandeſcit, ac rubet, neq; pudet Phariſaicæ hypocriſcos, neq; mentiri ſplendide, neq; ſuam ubiq; inculcare nequitia, neque luſtra libidines, luxuriem, impudicitiam, lenocinia ſua, atq; alia innumera flagitiorum genera oſtentare.

Aſyntheton, quum efferuntur multa ſine coniunctione Polybius ex mera qua præditus eſt arrogantia, ſimulat ſe diſſerere de omnibus poſſe, de iure diuino & humano, de medicina, de philoſophia utraq; morali & naturali, de arte poetica, oratoria, dialectica, muſica, geometria, aſtronomia, arithmetica, deq; omnibus ingenuis artibus ac diſciplinis, quum ne unum quidem, quando profiteretur Theologiam, nec obijcere, nec diſſoluere poſſit argumentum. Adeo paſſim in ſumma inſulſitia ac ueraditatione ſuam prodebat infantiam, ſeq; rerum omnium imperitiſſimum declarabat.

Homoioptoton, Similiter cadentia Cicero uocat. Sunt autem ſimiliter cadentia, quando clauſulæ iiſdem finiuntur caſibus, ut Trachelus non odio bonorum, ſed inuidia premitur malorum.

Homoioteleuton ſimiliter deſinentia uocat. Sunt autem ſimiliter deſinentia, quando membra atque inciſa eandem præferunt in fine conſonantiam, eundemq; referunt ſonum. Arrius primum animi ſui libidinem cupiditatemq; aperuit, poſtea Machometes approbauit. Demum Potator ille flagitioſiſſimus, quem ſibi in contubernium, ac conſcium ſuorum ſcelerum aſciuerunt, acceſſit.

Polyoptoton eſt quando eadem uox ſæpius repetitur, in diuerſis tamen caſibus. Polybius quum uelit uideri diſertus, nihil præter meram ſapit barbariem, nihil niſi elegantiam culinariam, phraſeſq; Themiſticas atq; Sophiſticas redolet. Neq; ſolum tam horrenda eſt imbutus barbarie, uerumetiam uiros facundos, diſertoſq; odio proſequitur & inuidia. Tum tanta ſuperſtitione & arrogantia ſuæ barbariei conſultum uult, ut nihil unq̃ uiderim, aut ſuperſtitioſius, aut arrogantius.

Hypallage eſt, quoties ſermo contrario effertur modo, ut date claſsibus auſtros.

Paranomaſia uel adnominatio, quum literarũ ſimilitudine dictionẽ uertimus in contrariũ, ut Inceptio eſt amentium, haud amantium.

Anaclaſis quando idẽ uerbũ nõnihil mutatũ et uoce & ſignificatione inuenitur, Oppugnari pecunia põt, expugnari nõ poteſt. Abeo orator, Redibo exorator.

Eclipſis quando deſideratur aliquid. Vos ſ. pauciora qui rabuli eſtis forenſis.

Epanades Latine Regreſsio, quando propoſitum repetitur, diſtinguitur ac diſſeccatur.

Ploce dicitur a Fabio quum talis repetitio fit, qualis in hoc exemplo eſt. Cice. Veſtrum iam hic factum reprehenditur, P.C. non meũ, ac pulcherrimum quidem factum, uerum (ut dixi) non meum, ſed ueſtrum.

Symploce, quã cõplexionẽ dicunt, utraq; in parte uerbũ idẽ repetit. Quis hanc Tragœdiã excitauit? Epicurus. Quis proinde ſuam ignorantiã celare uoluit? Epicurus. Quis ex arrogantia, & ignorãtia mera, docuit ea, quæ nondũ didicerat? Epicurus. Quis ſtupra, adulteria, inceſtus, ſacrilegia, mendacia, proditiones, periuria, furta, atq; omnia ſcelerum atq; libidinũ genera prætextu hypocriſeos diſsimulare uoluit? Epicurus, inquam, Epicurus cum ſceleſtiſsimis ſuis ſodalibus omnium ſcelerum una cum ipſo ſibi conſcijs.

Apoſiopeſis, Reticẽtia, præciſio, interruptio, quando ex perturbatione animi aliquid prætermittitur. Quos ego, ſed motos præſtat componere fluctus.

DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

Duæ ſunt harum figurarum claſſes, Aliæ affectum concitant, aliæ augent copiam.

Affectum concitant:
Interrogatio.
Epitrochaſmus.
Subiectio.
Apophaſis.
Exclamatio.
Dubitatio.
Inexpectatum.
Communicatio.
Permiſsio.
Præteritio.
Apoſtrophe.

Interrogationum alia ſimplex eſt, quæ ſciſcitandi gratia adhibetur. Alia figurata, quæ adhibetur, aut inſtandi cauſa, aut commiſerationis, aut admirationis, aut aſſeuerationis, aut indignationis, aut dubitationis.

Epitrochaſmus eſt, ubi plura horrendo quodam modo queruntur.

Subiectio, quum ipſi noſtræ reſpondemus interrogationi.

Apophaſis, quæ quando rem prius tuemur, q̃ concеſſerimus.

Exclamatio O nefandam ſceleratorum belluonum audaciam, O perditam facinoroſorum hominum nequitiam. Proh Deum immortalem, quam indignum facinus, Me miſerum. Augetur acrimonia, ſi addatur Apoſtrophe. Prò diuum atque hominum fidem, ad quam laſciuiam proteruitatem, petulantemq; luxum redacta eſt eiuſmodi hominum immoderata cupiditas?

Dubitatio διαπόρησις, ἀπορία, quum heremus, unde capiamus initium orationis noſtræ ob rerum propoſitarum copiam, uel quid potiſsimum ſimus acturi, aliqua permoti ægritudine.

Inexpectatum quum ſuſpenſis auditorum animis inopinatum aliquid ſubiungimus.

Communicatio, quum aut ex ipſo aduerſario, aut iudice quærimus, quid factum oportuerit.

Permiſsio, ἐπιτροπή, conceſsio demum eſt figura, quando aut exprobationem continet, aut diſsimulationem, aut aſſeuerationem, aut fiduciam. Fitq;, quando inuitos nos concedere ſignificamus, id quod fieri nolumus.

Præteritio παράλειψις, quando ſimulamus nos uelle ſilentio præterire id, quod maximè tunc dicimus. Prætereo quod Gnoſticus ille ætatem omnem polluerit omnibus criminibus, flagitijs atque ſceleribus.

Apoſtrophe eſt ſubita orationis ad alteram perſonã auerſio, Atq; tum demũ peculiarem habet gratiã, quando iam efferueſcit oratio.

DE POSTERIORI GENERE FIGVRARVM MENTIS.

Figuræ ſententiarum poſterioris claſsis quæ copiam augent ſunt:

Climax.
Antimetabole.
Inuerſio.
Contentio.
Συνοικείωσις
Correctio.
Reiectio.
Occupatio.
Παραστιγμα.
Paranologia.
Paradiaſtole.
Hypophora.

Tranſitio
Αἰτιολογία
Color.
Digreſsio.
Amplificatio: Iuramentum. Comparatio. Ratiocinatio. Congeries.
Amplificatio.
Hyperbole.
Extenuatio.
Sententia.
Epiphonema.
Noëma.
Meriſmus.
Emphaſis.
Deſcriptio: Proſopographia. Topographia. Chronographia.
Topotheſis.
Proſopopœia.
Characteriſmus.